

# LITTERAE ENCYCLICAE

## De Ecclesiarum cultu et nitore ; de Officiorum Ecclesiasticorum et Musices ratione, occasione imminentis Anni Sancti.

BENEDICTUS PP. XIV

VENERABILES FRATRES,  
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Annus, qui hunc vertentem annum insequitur, ut Fraternitas Tua cognitum et compertum habet, Iubilaeus est. Et quoniam, bello confecto et penitus sublato, summa Dei miseratione, pax inter Principes, qui decertabant, inita est, fas est sperare in Domino, magnos exterarum nationum, etiam longe dissitarum, ad hanc almam Urbem fore concursus. Nos quidem enixe Deum deprecamur, atque etiam ab aliis orari cupimus, ut omnes, qui ad hanc Urbem se conferunt, spirituales fructus Sanctarum Indulgentiarum consequantur, idque ut eveniat, pro virili Nostra, quam diligenter curabimus. Optamus etiam, ut omnes, qui Romam veniunt, ne moribus nostris offensi recedant ; sed potius ex iis, quae in hac Urbe, atque in aliis Civitatibus Ditionis Nostrae, per quas iter eos facere contingerit, conspexerint, ad eorum patrias redeuntes, incitamenta referant atque exempla virtutum. Quod autem ad Romam attinet, iam ex parte a Nobis provisum est, et uberius etiam in posterum providebitur : pro iis vero, quae ad Dioecesim, quae a te recte prudenterque regitur, pertinent, Nobis opus est pastorali tuo zelo, probataque sollicitudine : quod si adiutricem manum, ut certo confidimus, admoveere velis, minime dubitamus, non solum Nos assecuturos id, quod in votis est, sed insuper fore, ut Ecclesiastica disciplina, ex iis, quae a Nobis praecepta fuerint, composita, non modo per totum Annum Sanctum, sed per plures deinceps annos, integra immotaque permaneat. Id enim ipsum continget, quod usu venire compereris in Sacris Pastoralibus visitationibus ; cum enim Ecclesiastici Pastoris adventum Clerici, Saecularesque homines opperiuntur, et ante et postquam Episcopus advenit, studiose satagunt, ut quae prava sunt, corrigantur ; quae infirma, curentur ; quae mala, amoveantur ; adeo ut earum fructus non solo visitationis tempore, sed longe post perseveret.

1. Sed ut ad rem propositam veniamus, quod in primis Tibi enixe commendamus, illud est, ut Ecclesiae optimo in statu sint, nitidae, mundaе, sacraque Suppellectili instructae ; facile enim quisque intelligit, si advenae per hanc Nostram Ecclesiasticam Ditionem iter agentes intueantur Ecclesias Civitatum ac Dioecesium ruinosas, illuvie et squallore deformes, sacris vestibibus indigentes, vel habentes laceras, sordidas, et eius conditionis ac status, ut dignae sint, quae interdicanur, certe nostris moribus offensae atque indignatae, ad suas regiones revertentur. Hic autem adverti volumus, Nos verba facere non de sumptuositate, et sacrorum Templorum magnificentia, nec de divite ac pretiosa suppellectili ; non enim Nos latet haec non omnibus in locis haberi posse ; sed decentiam ac munditiam desideramus, quas nemini detrectare licet, quia etiam cum pau-

pertate bene convenire et componi possunt. Inter caetera mala, quibus Ecclesia Dei affligitur, etiam de hoc dolebat Ven. Card. Bellarminus : *Omitto, inquit, quod alicubi vasa sacra et vestes, quibus mysteria celebrantur, vilia et sordida inveniuntur, indigna prorsus, quae ad tremenda mysteria adhibeantur. At forte, qui haec adhibent, pauperes sunt. Id quidem fieri potest ; sed si pretiosa non possunt, saltem munda et nitida procurarent.*<sup>1</sup> Quamobrem Praedecessor noster rec. me. Benedictus XIII, cuius labores pro Ecclesiastica disciplina vel servanda vel restituenda, Ecclesiarumque decore procurando notissimi fiunt, proponere solebat in exemplum Patrum Capuccinorum Ecclesias, in quibus est summa paupertas, aequalisque mundities omnium oculis spectanda se offeret. Drexelius tom. 17 suorum Operum, quae Monachii impressae sunt, in Tractatu, qui inscribitur *Gazophylacium Christi*, part. 2, cap. 2, pag. 153, ita scribit : *Primum ac potissimum, quod Templis debetur, est mundities. Non tantum adsint, quae in usus sacros necessaria, sed etiam, quantum fieri potest, mundissima sint. Et iure merito contra eos invehitur, qui domos bene ornatas et cultas habent, Ecclesias vero in squallore et sordibus relinquunt. Sunt etiam, qui domos habent instructissimas et ornatissimas : in eorum Templis ac Sacellis squallent omnis : Arae a frontalibus nudae vix laceris et sordidis pannis insternuntur : in caeteris omnibus confusio et squalor.*<sup>2</sup> Magnus Ecclesiae Doctor Hieronymus in epistola ad Demetriadem parum se curare haud obscure indicavit, pauperes ne, an divites sint Ecclesiae. *Alii aedificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant, earumque deaurent capita, pretiosum ornamentum non sentientia ; ebore argentoque valvas, et gemmis aurata distinguant Altaria ; non reprehendo, non abnuo ; unusquisque in suo sensu abundet : meliusque est hoc facere, quam repositis opibus incubare.*<sup>3</sup> At vero Ecclesiarum munditiem maxime facere aperte declaravit, cum Nepotianum summis laudibus extulit, quia diligens ac sollicitus fuit in nitore et munditia Ecclesiarum atque Altarium curanda, ut videre licet in eiusdem Nepotiani Epitaphio, quod Sanctus ad Heliodorum misit. *Erat ergo, ait, sollicitus, si niteret Altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si ianitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, et in omnes caeremonias pia sollicitudo disposita ; non minus, non maius neligebat officium.*<sup>4</sup> Profecto sedulo ac diligenter cavendum est, ne illud non sine maxima Ecclesiastici Ordinis infamia contingat, quod sibi evenisse narrat laudatus Cardinalis Bellarminus : *Ego, ait, cum aliquando ex itinere apud Episcopum nobilem et praedivitem hospitaret, vidi aulam vasis argenteis splendidam, et mensam omni genere praestantium ciborum refertam ; mappas quoque et reliqua omnia nitida et odorem suavem spirantia. Sed cum die sequente summo mane ad Ecclesiam Palatio contiguam descendissem, ut sacris operarer, inveni omnia contraria, id est vilia et sordida, ut vix auderem in tali loco et cum tali apparatu Divina mysteria celebrare.*<sup>5</sup>

2. Altera res est, ad quam curam tuam et sollicitudinem excitamus, ut horae Canonicae, pro more et instituto cuiusque Ecclesiae, canantur seu recitentur, prout decet ac convenit, ab iis, qui ad eas tenentur ; nihil enim est magis Eccle-

<sup>1</sup> S. ROBERTUS BELLARMINUS, *De gemitu columbae*, lib. 2, cap. 5.

<sup>2</sup> IEREMIAS DREXELIUS, *Gazophylacium Christi*, loc. cit. in textu.

<sup>3</sup> S. HIERONYMUS, *Epistola 130 ad Demetriadem, De virginitate* 14 : PL 30, col. 1119.

<sup>4</sup> S. HIERONYMUS, *Epistola 60 ad Heliodorum, Epitaphium Nepotiani* 12 : PL 22, col. 596.

<sup>5</sup> S. ROBERTUS BELLARMINUS, *op. cit., ibid.*

siasticae disciplinae inimicum aut perniciosum, quam Divinam Psalmody in Ecclesiis Dei contemptim aut negligenter obire. Certe haud ignota tibi est obligatio, qua Canonici aliique Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, et Collegiatarum ad quotidie Horas Canonicas in Choro cantandas tenentur : cui obligationi satis ille utique non facit, qui Ecclesiasticae Psalmody munere, nulla animi attentione, oscitanter indiligenterque perfungitur. Sum. Pont. Innocentius III, in Concilio Lateran. relato in cap. *Dolentes* de celebrat. Miss. de eadem obligatione loquitur in hunc modum : *Districte praecipientes in virtute oboedientiae, ut Divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote.*<sup>6</sup> Ubi Glossa explicans verbum illud *studiose*, haec subiicit : *Quantum ad officium oris, id est sine syncopa*<sup>7</sup> : et ad verbum *devote* talia adnotat : *Quantum ad officium cordis.*<sup>8</sup> Clemens V Praedecessor Noster in Concilio Viennensi in sua Constitutione, quae inter Clementinas reperitur, et cuius initum est : *Gravi*, sub titulo *de celebratione Missarum* eodem modo loquitur : *ut in Cathedralibus, Regularibus, et Collegiatis Ecclesiis horis debitis devote psallatur.*<sup>9</sup> Et Concilium Tridentinum cap. 12, sess. 24 *de Reformatione*, tractans de obligationibus Canonicorum Saecularium : *Omnes vero, inquit, Divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia, et Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, assistere et inservire ; atque in Choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.*<sup>10</sup> Hinc autem necessario sequitur, diligenterque invigilandum, ut cantus praeceps minime est, aut citior quam decet, utque suis locis pausae fiant, et ut altera pars Chori versiculum psalmi subsequentem non exordiat, priusquam altera antecedentem absolverit. *Nec prius psalmi una pars Chori versiculum incipiat, quam ex altera praecedentes psalmi et versiculi finiatur.*<sup>11</sup> Sunt verba Concilii Salmuriensis an. 1253. Demum ut cantus vocibus unisonis peragatur, et Chorus a peritis in cantu Ecclesiastico (qui cantus planus seu firmus dicitur) regatur. Huiusmodi cantus ille est, quem ad musicae artis regulas dirigendum efformandumque multum elaboravit S. Gregorius Magnus Praedecessor Noster, ut testatur Ioannes Diaconus in eius vita, lib. 2, cap. 7.<sup>12</sup> Hoc autem loco plura addere, quae ad Ecclesiasticam eruditionem pertinent, de Ecclesiastici cantus

<sup>6</sup> CONCILIUM LATERANENSE IV, can. 17.

<sup>7</sup> Glossa ad can. 17.

<sup>8</sup> *Ibid.*

<sup>9</sup> CLEMENS PP. V in CONCILIO VIENNENSI, Const. Ap. *Gravi nimirum* (1311/2) prope finem : *Corpus Iuris Canonici* (ed. Lipsiensis II 1881) 2, col. 1174.

<sup>10</sup> CONCILIUM TRIDENTINUM, can. 12.

<sup>11</sup> CONCILIUM SALMURIENSE, cap. 1 : *Acta Conciliorum*, tom. 7, col. 442.

Haec sententia accuratius legitur : *nec prius psalmi versiculum una pars chori incipiat, quam ex altera praecedens psalmi versiculus finiatur.*

<sup>12</sup> IOANNES DIACONUS, *De vita Gregorii Magni*, loc. cit. in textu : PL 75, coll. 90–91 : *Huius modulationis dulcedinem inter alias Europae gentes Germani seu Galli discere crebroque rediscere insigniter potuerunt, incorruptam vero tam levitate animi, quia nonnulla de proprio gregorianis cantibus miscuerunt, quam feritate quoque naturali, servare minime potuerunt. Alpina siquidem corpora, vocum suarum tonitruis altisone perstreptentia, susceptae modulationis dulcedinem proprie non resultant, quia bibuli gutturis barbara feritas, dum inflexionibus et repercussionibus mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore, quasi plaustra per gradus confuse sonantia rigidas voces iactat, sicque audientium animos, quos mulcere debuerat, exasperando magis ac obstrependo conturbat.*

origine, de Cantorum Schola et Primicerio, qui ei praesidebat, haud difficile Nobis esset ; sed praetermissis, quae minus necessaria videntur, eo, unde paulo digressi sumus, rem propositam exsequentes revertamur. Cantus iste ille est, qui fidelium animos ad devotionem et pietatem excitat ; denique ille est, qui si recte decenterque peragatur in Dei Ecclesiis, a piis hominibus libentius auditur ; et alteri, qui cantus harmonicus seu musicus dicitur, merito praefertur. Hunc quidem Monachi a Presbyteris Saecularibus didicerunt ; et cum ab ipsis accurate diligenterque tractetur, sacrisque in functionibus adhibeatur : contra autem negligatur a nonnullis Clericis oscitanterque persolvatur ; haec potissima causa est, cur a Christiano populo frequentius Regularium Ecclesiae quam Saecularium adeantur ; ut bene advertit Iacobus Eveillon in suo Tractatu *de recta ratione psallendi* ad cap. 9, art. 9, pag. 99 : *Sordescit quippe sanctis auribus omni musici concentus titillatio prae hac plani cantus et simplicis psalmodiae harmonia, si recta fuerit. Atque eo fit, ut, relictis hodie Ecclesiis Collegiatis et Parochialibus, tam libenter et avide concurrat populus fidelis ad Ecclesias Monachorum, qui magistram habentes in colendo Deo pietatem, sancte, moderate, et ut Psalmistarum Princeps olim dixit, sapienter psallunt, et Domino suo, ut Domino et Deo, cum summa reverentia famulantur. Quod sane pudori debet esse Ecclesiis primariis et maioribus, a quibus Monachi et canendi et psallendi artem omnem ac regulam didicerunt.*<sup>13</sup> Et ideo Sacrum Concilium Tridentinum, quod nihil eorum, quae ad reformationem Cleri conferre poterant, praetermisit, cap. 18, sess. 23 *de Reformatione*, ubi agit de Seminariis instituendis, inter caetera, quae Seminario- rum alumnos edocendos praecipit, etiam cantum recenset his verbis : *Ut vero in disciplina Ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim atque habitu Clericali semper utentur, Grammatices, Cantus, Computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent.*<sup>14</sup>

3. Tertia res est, de qua Nos te admonere opus est, ut musicus cantus, qui nunc in Ecclesiis usu receptus est, et qui Organi aliorumque Instrumentorum harmoniae coniungi solet, ita instituat, ut nihil profanum, nihil mundanum aut theatrale resonet. Universus quidem Orbis Christianus Organi aliorumque musicorum instrumentorum usum adhuc non recepit ; praeter enim Ruthenos Ritus Graeci, qui in suis Ecclesiis neque organum neque alia musicae instrumenta habent, teste Patre Le Brun tom. 2 *Explication. Miss.*, pag. 215,<sup>15</sup> Nostra Pontificia Cappella, ut omnibus notum est, cantum musicum, sed gravem, decorum piisque admittit, nunquam autem organum recepit, quod etiam notatur a Patre Mabillone in suo *Musaeo Italico*, tom. 1, pag. 47, § 17, *Dominica Trinitatis, Cappellae, ut vocant, Pontificiae interfuimus, etc. Nullus organorum musicorum usus in huiusmodi sacris, sed sola vocum musica, eaque gravis cum plano cantu admittitur.*<sup>16</sup> Refert Grancolas in *Commentario historico de Breviario Romano*, cap. 17, etiamnum in Galliis aliquas insignes Ecclesias reperiri, quae organum cantumque musicum seu harmonicum in sacris functionibus non adhi-

<sup>13</sup> IACOBUS EVEILLON, *De recta ratione psallendi*, loc. cit. in textu.

<sup>14</sup> CONCILIUM TRIDENTINUM, can. 18.

<sup>15</sup> PETRUS LE BRUN, *Explicatio Missae*, diss. 6, art. 5, no. 5 secundo : *Non organa, non alia musica instrumenta in Ecclesiis tenent, rati novae Legis homines ad Domini laudes suam ipsorum vocem aptius impendere.*

<sup>16</sup> IOANNES MABILLONIS, *Musaeum Italicum*, loc. cit. in textu.

bent : *Sunt tamen ad hanc diem insignes in Gallia Ecclesiae, quae organorum et musices usum ignorant.*<sup>17</sup> Illustris Ecclesia Lugdunensis, quae quidem novitatibus semper adversata est, usque ad hunc diem exemplum Pontificiae Cappellae secuta, nunquam organo uti voluit : *Constat igitur ex dictis, nec statim ab initio, nec ubique recepta fuisse musicalia Instrumenta : Nam etiam nunc Romae in Sacello Summi Pontificis semper sine instrumentis Officiorum sollemnia celebrantur ; et Ecclesia Lugdunensis, quae novitates nescit, semper organa repudiavit, neque in hunc diem ascivit.*<sup>18</sup> Sunt verba Cardinalis Bona in Tract. *de Divin. Psalm.*, cap. 17, § 2, num. 5. Quam igitur opinionem de Nobis accepturi sint, qui ex illis regionibus, ubi nullus musicorum instrumentorum usus est, ad Nos, nostrasque Urbes proficiscuntur, in quorum Ecclesiis concentus musicos audient, non secus ac in theatris aliisque profanis locis, facili quisque per se coniectura assequi potest. Venient etiam, haud dubium est, exteri ex illis regionibus, in quarum Ecclesiis cantus et musica instrumenta adhibentur, perinde ac in aliquibus nostris fieri solet. Sed si isti homines prudentes et pii sint, dolebunt quidem in cantu et sono Nostrarum Ecclesiarum, remedium illud, quod malo suarum Ecclesiarum curando afferri optabant, non invenisse. Etenim, omissa controversia illa, qua nonnulli inter se decertant, quorum alii cantum musicum et musicorum instrumentorum usum in Ecclesiis reprobant ac vituperant ; alii vero probant ac laudant : nullus certe est, qui inter cantum Ecclesiasticum et scaenicas modulationes discrimen aliquod non desideret, et theatrales profanosque cantus in Ecclesiis tolerari non condemnet.

4. Diximus reperiri, qui cantum harmonicum cum musicis instrumentis in Ecclesiis adhiberi minime probant. Horum princeps quodammodo dici potest Abbas Aelredus, coevus et discipulus S. Bernardi, qui lib. 2 eius Operis, quod inscribitur *Speculum caritatis*, cap. 23, tom. 23<sup>19</sup> *Biblioth. Patrum*, pag. 118, ita scribit : *Unde, cessantibus iam typis et figuris, unde in Ecclesia tot organa, tot cymbala ? Ad quid, rogo, terribilis ille follium flatus, tonitruum potius fragorem quam vocis exprimens suavitatem ? Ad quid illa vocis contractio et infractio ? Hic succinit, ille discinit, alter supercinit, alter medias quasdam notas dividit et incidit.*<sup>20</sup> Asserere quidem non audemus, aetate S. Thomae Aquinatis, nullis in Ecclesiis usum musici cantus cum musicis instrumentis fuisse : illud utique affirmare licet, in Ecclesiis minime fuisse, quae Sancto Doctori notae et cognitae erant ; ideoque huiusmodi cantui ipse nequaquam favisse videtur. Tractat enim II, II, qu. 91, art. 2 quaestionem illam, utrum in Divinis laudibus sint cantus assumendi<sup>21</sup> ; respondet assumendos esse<sup>22</sup> ; sed cum sibi quarto loco opponat : *Instrumenta musica, sicut citharas et psalteria, non assumere Ecclesiam in Divinas lau-*

<sup>17</sup> IOANNES GRANCOLAS, *Commentarius historicus in Breviarium Romanum*, loc. cit. in textu.

<sup>18</sup> IOANNES S. R. E. Card. BONA, *De Divina Psalmodia*, loc. cit. in textu.

<sup>19</sup> Vide *Magna Bibliotheca Veterum Patrum*, tom. 23, pag. 111.

<sup>20</sup> S. AELREDUS RIAEVALLENSIS, *Speculum caritatis*, loc. cit. in textu ; cf. PL 195, col. 571.

<sup>21</sup> S. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologica*, II, II, q. 91, art. 2, ob. 5 : *Praeterea, principalior est laus mentis quam laus oris. Sed laus mentis impeditur per cantus, tum quia cantantium intentio abstrahitur a consideratione eorum quae cantant, dum circa cantum student ; tum etiam quia ea quae cantantur minus ab aliis intelligi possunt quam si sine cantu proferrentur. Ergo cantus non sunt divinis laudibus adhibendi.*

<sup>22</sup> S. THOMAS AQUINAS, *op. cit.*, resp. ad ob. 5 : *Ad quintum dicendum quod per cantum quo quis studiose ad delectandum utitur, abstrahitur animus a consideratione eorum quae cantantur.*

*des, ne videatur iudaizare*<sup>23</sup> : cum in *Psalmo 32 : Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi.*<sup>24</sup> Respondet : Huiusmodi musica instrumenta magis movere ad delectationem, quam interius disponere ad pietatem ; in veteri autem Testamento ideo adhibita fuisse : *quia populus erat magis durus et carnalis, unde erat per huiusmodi instrumenta provocandus, sicut et per promissiones terrenas*<sup>25</sup> : Addit insuper, instrumenta in veteri Testamento typos seu figuras aliquarum rerum fuisse : *Tum etiam, ait, quia huiusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.*<sup>26</sup> De Summo Pontifice Marcello II, litteris traditum est, secum deliberasse, musicam in Ecclesiis abolere, cantumque Ecclesiasticum ad cantum planum redigere, ut cuique compertum fieri potest ex eius *Vita*, quam scripsit Petrus Pollidori nuperrime defunctus Beneficiatus Basilicae S. Petri, vir inter Litteratos non ignotus.<sup>27</sup> Aetate nostra vidimus Cardinalem Thomasi, virum sanctitate vitae, eximiaque in Liturgicis rebus eruditione insignem, in Ecclesia sua Titulari S. Martini ad Montes die festo eiusdem Sancti, in cuius honorem Ecclesia dedicata est, in Missa et Vespertinis Officiis concertus musicos haberi noluisse ; sed ut a viris Religiosis, in sacris peragendis, cantus planus adhiberetur, praecepisse.

5. Diximus esse aliquos, qui usum musici cantus cum Instrumentis in Divinis Officiis approbant. Nam eodem saeculo, qui vixit laudatus Abbas Aelredus, floruit etiam Ioannes Sariberiensis Episcopus Carnotensis, qui lib. 1 *Policratici*, cap. 6, Musicam organicam seu concertum vocum et instrumentorum laudat : *Ad mores itaque instruendos et animos exultatione virtutis traiciendos in cultum Domini, non modo concertum hominum ; sed et instrumentorum modos, censuerunt Sancti Patres Domino applicandos, cum Templi reverentiam dilatarent.*<sup>28</sup> S. Antoninus in eius *Summa*, part. 3, tit. 8, cap. 4, § 12, non reiicit cantum harmonicum in Divinis Officiis : *Cantus quidem firmus in Divini Officiis a Sanctis Do-*

*Sed si aliquis cantet propter de-votionem, attentius considerat quae dicuntur, tum quia diutius moratur super eodem ; tum quia, ut Augustinus dicit, in X Confess., omnes affectus spiritus nostri pro sua diversitate habent proprios modos in voce atque cantu, quorum occulta familiaritate excitantur. Et eadem est ratio de audi-entibus, in quibus, etsi aliquando non intelligant quae cantantur, intelligunt tamen propter quid cantantur, scilicet ad laudem Dei; et hoc sufficit ad devotionem excitandam.*

<sup>23</sup> S. THOMAS AQUINAS, *op. cit.*, ob. 4.

<sup>24</sup> *Ps. 32, 2.*

<sup>25</sup> S. THOMAS AQUINAS, *op. cit.*, resp. ad ob. 4.

<sup>26</sup> *Ibid.*

<sup>27</sup> PETRUS POLLIDORUS, *De vita, gestis et moribus Marcelli II*, Commentarius 40, prope finem : *Profanum ac levem canendi modum, molliores cantus, theatralem vocum et musicorum Instrumentorum consociationem in Templis exosus, peculiari lege vetare priscumque restituere sacrae Musicae usum deliberaverat. Sed quo minus id impleverit, effecit properatus interitus. Probare itaque nequaquam possumus quod Ioannes Baptista Donius in libro primo de praestantia Musicae veteris prodit : Nescio cuius Musici astutia Marcello imponentis, id executioni mandatum non esse. Opus scilicet, in illo mala eliminando non fuisse lege, sed exemplo. Hoc in Pontificia Cappella ex artis Regulis mox exhibito, recta in aliis locis futura omnia. Ea vero constituens Sapientissimus Pontifex, Tridentini Concilii sententiam, ut auctor ipse significat, spectare non potuit, quod post eius obitum Pio IV Summo Pontifice, sessione xxii, in Decreto de observandis in celebratione Missae arceri iussit ab Ecclesiis Musicas ubi sive organo, sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur. Non est igitur cur vir doctus merito quaeratur et doleat, quod Marcellus ea deceptus fallacia tanti facinoris gloriam de manibus eripi passus est.*

<sup>28</sup> IOANNES SARIBERIENSIS, *Policraticus*, *loc. cit.* in textu.

ctoribus institutus est, ut Gregorio Magno, Ambrosio, et aliis. Biscantus autem in Officiis Ecclesiasticis quis adinvenerit, ignoro : pruritui aurium videtur magis deservire, quam devotioni ; quamvis pia mens etiam in his fructum referat audiendo.<sup>29</sup> Et paulo post admittit in Divinis Officiis non solum organum, sed etiam alia instrumenta musica : Sed et pulsatio organorum vel aliorum instrumentorum ad Divinam laudem initium virtutis habuisse a Propheta David.<sup>30</sup> Constituebat quidem Marcellus II Pontifex ab Ecclesiis cantus musicos et musica instrumenta remove ; sed Ioannes Petrus Aloysius Praenestinus Magister Cappellae Basilicae Vaticanae musicos cantus in sacris Missarum sollempnibus persolvendis composuit tam excellenti arte, ut ad pietatem animos et devotionem moverent. Itaque illis auditis a Summo Pontifice, qui Missae interfuit, mutata voluntate, ab eo, quod sibi proposuerat, recessit, quemadmodum ex antiquis monumentis tradidit Andreas Adami in suis *Observationibus ad Cappellam Pontificiam in Praefat. Histo.*, pag. 11.<sup>31</sup> In Concilio Tridentino actum est de eliminanda musica ab Ecclesiis ; sed cum ab Imperatore Ferdinando per suos Legatos expositum fuisset, cantum musicum seu figuratum, fidelium animis incitamento ad devotionem et pietatem esse ; Decretum, quod iam adornatum fuerat, moderari placuit, uti legitur in sess. 22, in Decreto *de observ. et evit. in celebrat. Missae*.<sup>32</sup> In eo autem ab Ecclesiis solum reiectae fuerunt musicae illae, *ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquod miscetur*.<sup>33</sup> Haec narrantur a Grancolas in laudato *Commentario*, pag. 56,<sup>34</sup> et a Cardinali Pallavicino in *Hist. Concilii*, lib. 22, cap. 5, num. 14.<sup>35</sup> Profecto Ecclesiastici Scriptores magni nominis li-

<sup>29</sup> S. ANTONINUS FLORENTINUS, *Summa Theologica*, loc. cit. in textu.

<sup>30</sup> *Ibid.*

<sup>31</sup> ANDREAS ADAMI, *Osservazioni della Cappella Pontificia, Prefazio storico*, eodem loc. cit. in textu : *Esaltato al Sommo Sacerdozio Marcello II, uomo di ottimo gusto, benchè regesse la Chiesa ventidue soli giorni, posse tutta la sua applicazione a riformar molti abusi, e particolarmente la Musica, col pensiero di levarla affatto dalle Funzioni Ecclesiastiche. Allorché avutasi cognizione di ciò da Giovanni Pierluigi da Palestrina, Maestro di Cappella della Basilica di S. Pietro, e celebre in questa Scienza, fece pregare il Pontefice a sospendere in tal caso qualsisia risoluzione, sino a tanto che gli facesse esso sentire una Messa da sè composta, secondo il vero stile ecclesiastico. Accordogli la grazia il Pontefice, e nelle Funzioni di Pasqua de Resurrezione fu cantata la suddetta Messa a sei voci, intitolata Papae Marcelli, per la quale egli ne riportò un pieno applauso, e così restò ristabilita la Musica ecclesiastica. Questa Messa fu data alle stampe, e dedicata al Successore Paolo IV, dal quale fu ammesso il Palestrina in Cappella per Compositore.*

<sup>32</sup> Vide loc. cit. in textu : *Ab ecclesiis vero musicas eas ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur, item saeculares omnes actiones, vana atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant ut domus Dei vere domus orationis esse videatur ac dici possit.*

<sup>33</sup> *Ibid.*

<sup>34</sup> IOANNES GRANCOLAS, *op. cit.*, loc. cit. in textu : *Musicam quod spectat, Concilii Tridentini consilium erat, eam penitus abolere. Cum enim conscriptum Decretum fuisset, idque ad Ferdinandum Imperatorem missum, is cum consilio collocutus Patribus ea qua par erat reverentia, respondit, Musicam licet aliquibus nocere posset, innumeris tamen aliis prodesse ; quare non existimare se, eam penitus esse abolendam sed reformandam. Concilii Patres litteris Ferdinandi acceptis, eius consilium probarunt atque Decretum irritum fecerunt. Hinc S. Carolus eam pro virili magnifico atque exquisito apparatu peragi curabat, ut populos a profanis ludis atque concentibus averteret, atque ad res divinas pertraheret ; addebat vero sub finem hortationes atque salubria monita ad pietatem.*

<sup>35</sup> PETRUS SFORTIA S. R. E. Card. PALLAVICINUS, *Istoria del concilio di Trento*, loc. cit. in textu : *Andò poi notando varie cose negli altri capi: le quali casi tutte ò erano conformi al senso già del Concilio, ò erano già moderate prima secondo che poco di sotto vedrassi.*

benti animo eandem sententiam sequuntur. Ven. Cardinalis Bellarminus tom. 4 *Controvers.*, lib. 1 *de bonis operibus in particulari*, cap. 17 in fine, docet, retinendum esse in Ecclesiis usum organorum, sed alia instrumenta musica non facile admittenda : *Ex quibus illud efficitur, ut organa propter infirmos in Ecclesiis retinenda sunt, ita non facile alia instrumenta esse introducenda.*<sup>36</sup> Eadem semita insistit Cardinalis Caietanus in sua *Summa* ad verbum *organum*, ubi talia habentur : *Organorum usus in Ecclesia licet sit novus, in cuius signum Ecclesia Romana adhuc non utitur eis coram Pontifice, licitus tamen est pro carnalibus adhuc fidelibus imperfectis.*<sup>37</sup> Ven. Cardinalis Baronius ad annum Christi 60 ita scribit : *Verum, quod post multa saecula usu receptum sit, ut in Ecclesia adhiberentur organica instrumenta disparibus cannis simul iunctis confecta, haud iure quis poterit improbare.*<sup>38</sup> Cardinalis Bona *de Divina Psalmodia* cap. 17, agens de organis, quae in Ecclesiis pulsantur : *non tamen, inquit, damnari debet moderatus eorum usus, etc. Laetificat organorum concentus tristes hominum mentes, et supernae Civitatis insinuat iucunditatem, sollicitat pigros, recreat diligentes, provocat iustos ad amorem, peccatores ad compunctionem.*<sup>39</sup> Suarez tom. 2 *de Religione*, lib. 4 *de Horis Canonicis*, cap. 8, num. 5, animadvertit, *organi* nomine comprehendi non solum illud instrumentum musicum, quod hodie vulgo Organum vocari solet, sed alia etiam instrumenta harmonica (quod iam ante notatum fuit a S. Isidoro lib. 2 *Orig.*, cap. 20, *Organum vocabulum est generale vasorum omnium musicorum*<sup>40</sup>) ; ideoque concludit, recepto in Ecclesiis organo, etiam alia instrumenta musica admittenda esse.<sup>41</sup> Et Sylvius tom. 3 *suorum Operum* super II, II, S. Thomae quaest. 91, art. 2, Cantum harmonicum seu figuratum ab Ecclesiis non repellit : *Ideoque, ait, magna cura habenda est cantus Ecclesiastici, tam eius, qui planus seu Gregorianus dicitur, qui proprie est Ecclesiasticus, tum eius, qui postea in Ecclesiam est introductus, et vocatur figuratus sive harmonicus.*<sup>42</sup> Et paulo post : *Nihilominus, quod post multa saecula usu receptum sit, ut in Ecclesiasticis Offi-*

*Così nel terzo, dove se proibiva nelle Chiese la musica troppo molle, desiderò che non s'escludesse il canto figurato; riuscendo egli spesso incitamento alla divozione.*

<sup>36</sup> S. ROBERTUS BELLARMINUS, *Disputationes de controversiis*, cap. 17, num. 18.

<sup>37</sup> THOMAS DE VIO S. R. E. Card. CAIETANUS, *Summula Caietani*, loc. cit. in textu.

<sup>38</sup> CAESAR S. R. E. Card. BARONIUS, *Petri annus 16 — Christi 60*, n. 37 : *Annales Ecclesiastici* (ed. Baronii 1593), tom. 1, p. 613.

<sup>39</sup> FRANCISCUS SUAREZ, *Opus de Religione*, loc. cit. in textu.

<sup>40</sup> S. ISIDORUS HISPALENSIS, *Etymologiae*, lib. 3, cap. 21, n. 2 : PL 34, col. 166.

<sup>41</sup> Vide loc. cit. in textu : *Et quamvis vox organum communiter iam recipiatur pro peculiari instrumento sic vulgariter dicto, tamen vox de se generalis est, ut constat ex Hieronymo epist. 28 ad Dardanum ; et ex Isidoro lib. 3 Origin., cap. 19, 20 et 21. Neque satis constat an usus antiquus organorum in Ecclesia generaliter etiam accipiendus sit, vel de tali instrumento in specie, utcumque tamen intelligatur, ex specie colligimus, instrumenta musica de se non esse contra Ecclesiasticam decentiam vel utilitatem. Quod vero nec sint per Ecclesiam prohibita, praeter usum constat ex Concilio Trident., sess. 21, cap. de observandis in celebratione Missae, ubi sic inquit : Ab Ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo, sive cantu, lascivum aut impurum aliquid miscetur, etc., prohibet Sancta Synodus : ergo musicas honestas, et putas, etiamsi organo fiant, non prohibet. Eodem fere modo loquuntur Concilium Senonense et Coloniense : nomine autem organi, vel instrumentum musicum simpliciter intelligitur, vel certe eadem ratio est de his omnibus, in quibus decentia, et gravitas reperiri potest, ergo in uno organo sunt approbata reliqua instrumenta musica, dummodo, in eorum usu nulla sit indecentia; vel certe satis est quod non inveniantur reprobata iure positivo, cum alias per se mala non sint, ut ostendimus.*

<sup>42</sup> FRANCISCUS SYLVIVS, *Commentarii historici*, loc. cit. in textu.



*ciis Instrumenta musica adhiberentur ; nullo modo est improbandum.*<sup>43</sup> Bellotte in lib. de *Ritibus Ecclesiae Laudunensis*, pag. 209, sub num. 8, posteaquam de musicis instrumentis ample ac fuse locutus est, quae in Divinis Officiis nonnunquam adhibentur, et posteaquam ostendit antiquitus in Ecclesiis usui minime fuisse, nullam aliam causam veteris huius moris diversaeque consuetudinis fuisse existimat, quam necessitatem, qua tum adstringebantur Christiani, ut quoad fieri posset, recederent a profanis Ritibus Gentilium, qui in theatris, in conviviiis, in sacrificiis, instrumentis musicis utebantur. *Proinde nequaquam instrumentorum musicorum vitio vertendum est, quod posterioribus tantum saeculis usa sit Ecclesia musicis cantoribus et musicalibus instrumentis, sed quod a Gentilibus eiusmodi musica instrumenta in turpibus ac sordidis usibus, nimirum in theatris, conviviiis ac sacrificiis consueverint adhiberi.*<sup>44</sup> Persicus in suo *Tractatu de Divino et Ecclesiastico Officio*, dub. 5, num. 7, ita loquitur de cantu figurato in Ecclesiis : *Dico secundo, quamvis in cantu organico seu figurato multi possint abusus obrepere, sicut in omnibus aliis Ecclesiasticis caeremoniis accidit ; ipsum tamen per se, si debite, religiose, et decenti moderatione fiat, licitum esse, nec ullo iure prohibitum.*<sup>45</sup> Et ad dub. 6, num. 3 tenet, *quod organorum et aliorum instrumentorum universalis usus in Divinis Officiis secundum se laudabilis est, et ad imperfectorum animos ad Dei contemplationem elevandos valde utilis.*<sup>46</sup> Et quidem usus cantus harmonici seu figurati et musicorum instrumentorum in Missis, Vesperis, aliisque Ecclesiasticis functionibus adeo longe processit, ut ad Paraguaiam usque Regionem pervenerit. Etenim cum novi illi fideles Americani optimam indolem et ingenium habeant ad musicos cantus et ad organica instrumenta pulsanda, et facillime, quae ad musicam artem pertinent, ediscant ; exinde occasione capta Missionarii eorum animorum propensione obsequendo, piis devotisque cantibus ad eos deducendos ad Christi fidem usi sunt ; adeo ut in praesenti nullum fere discrimen, neque quoad cantum, neque quoad sonos, in Missis et Vesperis nostrarum regionum et illarum intercedat, iuxta ea, quae ex veridicis relationibus refert Abbas Muratori in *Descriptione Missionum Paraguaei*, cap. 12.<sup>47</sup>

<sup>43</sup> *Ibid.*

<sup>44</sup> ANTONIUS BELLOTTE, *Ritus Ecclesiae Laudunensis*, loc. cit. in textu.

<sup>45</sup> PETRUS ANELLUS PERSICUS, *Tractatus de Divino et Ecclesiastico Officio*, loc. cit. in textu.

<sup>46</sup> PETRUS ANELLUS PERSICUS, *op. cit.*, loc. cit. in textu.

<sup>47</sup> LUDOVICUS ANTONIUS MURATORI, *Il cristianesimo felice*, loc. cit. in textu : *Un'altra invenzione di gran riguardo per nudrire ed accrescere la Divozione de' nuovi Fedeli Americani, e per tirare anche gl'Infedeli alla vera Religione, e ad unirsi con gli altri nelle Riduzioni già fondate, degna è d'essere quì registrata. Consiste questa nella Musica, di cui quegl'industriosi Missionari hanno bene spesso sufficiente cognizione, e taluno ancora a perfezione ne sa. E' incredibile l'inclinazion naturale, che tengono que' Popoli all'armonia: del che profittarono non poco sul principio alcuni di quegli accorti Ministri di Dio. Imperocché mettendosi a cantare su quelle riviere le Laudi della Dottrina Cristiana, o altre Canzoni sacre, uscivano delle lor tane que' Barbari, e come storditi e incantati li seguivano; ed allorché il Missionario ne vedea raunato un buon numero, cominciava a predicar loro la bellezza e l'utilità della Fede di Gesù Cristo, aprendosi con ciò l'adito a formar qualche Riduzione. Oltre all'inclinazione suddetta si truova in essi una mirabil' abilità per la Musica delle voci, e de gli strumenti Musicali, cioè per apprendere tutto ciò che spetta al Canto e al Suono. Hanno ottime voci, concorrendo a renderle tali, ed anche più armoniose, che in altri paesi, le acque de' Fiumi Paranà ed Uraguai, siccome ancor noi osserviamo più melodiose quelle di parecchi abitanti nelle montagne, perchè non bevono se non acqua, purchè acqua sana e pura. Pertanto sogliono con particolar cura i saggi Missionari sceglieri que' fanciulli, che da' primi anni si conoscono forniti di*

6. Denique diximus neminem esse, qui theatrales cantus in Ecclesiis non detestetur, et qui diversitatem aliquam non requiret inter sacros Ecclesiae et profanos scaenarum concentus. Celebris est locus S. Hieronymi<sup>48</sup> relatus in Can. *Cantantes* dist. 92, *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino*.<sup>49</sup> *Audiant haec adolescentuli : audiant ii, quibus psallendi in Ecclesia officium est. Deo non voce sed corde cantandum ; nec in tragoedorum morem guttur et fauces dulci medicamine liniendae sunt, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica*.<sup>50</sup> Cuius auctoritate abutebantur illi, qui audacter nimis omne genus cantus ab Ecclesiis submoveri volebant ; sed Sanctus Thomas *loco laudato* respondens iis, quae secundo loco ex verbis S. Doctoris mox allatis sibi opponit : *Ad secundum, inquit, dicendum, quod Hieronymus non simpliciter vituperat cantum, sed reprehendit eos, qui in Ecclesia cantant more theatro*.<sup>51</sup> S. Nicetius lib. *de Psalmodiae bono*, cap. 3, tom. 1 *Spicilegii*, cantum in Ecclesiis adhibendum his verbis describit : *Sonus etiam vel melodia consentiens sanctae Religioni psallatur ; non quae tragicas difficultates exclamet, sed quae in vobis veram Christianitatem demonstret, non quae aliquid theatrale redolet, sed compunctionem peccatorum faciat*.<sup>52</sup> Patres in Toletano Concilio congregati an. 1566, act. 3, cap. 11, tom. 10 *Collect. Conciliorum* Harduini, posteaquam plura locuti sunt de qualitate cantus in Ecclesiis adhibendo, hoc modo concludunt : *Sed et illud maxime cavendum erit, ne ipsius musicae sonus quid theatrale, aut impudicos amorum bellorumque classicos modulos referens, in Dei laudibus decantandis imitetur*.<sup>53</sup> Non desunt plures eruditi Scriptores, qui acriter reprehendunt scaenicos sonos et cantus in Ecclesiis patienter tolerari, precanturque ut huiusmodi abusus ab Ecclesiis ablegentur. Videatur Casalius *de veteribus sacris Christianorum Ritibus*, cap. [54],<sup>54</sup> et Abbas Ludovicus Antonius Muratori, tom. 1 *antiquae Romanae Liturgiae* in dis-

*miglior metallo di voce, ed istruendoli ne formano sì sperti Musici, e così intendenti delle note e del tempo, che le lor sacre Musiche non men delle Europee piacciono e ricreano. In tal guisa si è stabilita in ciascuna delle Riduzioni una Cappella di Musici ottimamente ammaestrati e concordi nel Canto fermo semplice, e nel figurato. Quel che è più mirabile, non v'ha forse Strumento Musicale in Europa, che non si sia introdotto fra que' buoni Indiani, e non si suoni da loro, come Organo, Chitarra, Arpa, Spinetta, Leuto, Violino, Violoncello, Trombone, Cornetto, Oboè, e simili. E tali Strumenti non solo si toccano pulitamente da essi, ma sono anche fabbricati oggidì la maggior parte dalle lor mani. Più d'uno, che in pasando per quelle parti giunse ad udir quelle Musiche sì ben concertate, confessò il suo stupore, afferendo d'averle trovate non inferiori a quelle di Spagna.*

<sup>48</sup> S. HIERONYMUS, *Commentaria in Epistolam ad Ephesios* lib. 3, cap. 5 : PL 26, col. 528.

<sup>49</sup> *Eph.* 5, 19.

<sup>50</sup> GRATIANUS, dist. 92, can. 1 : *Corpus Iuris Canonici* (ed. Lipsiensis II 1879) 1, col. 317.

<sup>51</sup> S. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologica*, II, II, q. 91, art. 2, ad ob. 2.

<sup>52</sup> S. NICETIUS TREVIRENSIS, *De psalmodiae bono*, *loc. cit.* in textu ; cf. PL 68, col. 374.

<sup>53</sup> CONCILIUM TOLETANUM, *loc. cit.* in textu : *Conciliorum Collectio*, tom. 10, p. 1164 ; vide *Colección de cánones de la Iglesia española*, tom. 5, pag. 251.

<sup>54</sup> IOANNES BAPTISTA CASALIUS, *De veteribus sacris christianorum ritibus*, *loc. cit.* in textu (qui in *Bullario* indicat cap. num. tamquam 34 ; accuratius est 44) : *Hinc est quod irascitur S. Hieron. in epist. ad Ephes. (istum locum expendens) adolescentibus quibusdam, qui ut suaviorem ederent sonum, dulci medicamine fauces emolliebant, his verbis : Audiant haec adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est : Deo non voce, sed corde canendum; nec in tragoedorum morem, guttur et fauces dulci medicamine colliniendas, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica ; sed in timore et opere, in scientia Scripturarum, etc., et paulo post : Sic cantet servus Christi ; ut non vox canentis, sed verba placeant, quae leguntur ; ut spiritus malus, qui erat in Saule, eiiciatur ab his, qui similiter ab eo possidentur, et non introducatur in eos, qui de domo*

*sertatione de rebus liturgicis, cap. 22, in fine.*<sup>55</sup> Et tandem ut sermonem hac de re

Dei scaenam fecere populorum. *Haec ille. Si adolescentulos, qui dulci medicamine fauces collinire solebant, non tulit vir sanctissimus : Ferretne illos, qui ut hominum aures permulceant, vocesque suas carius locent, divino humanoque iure neglecto, sese exsecari patiuntur ? ut prohibent Can. 22. Apostol. et l. 1 C. de Eunuch. et l. 3 et 6 D. ad legem Cornel. de sicariis : ferretne illos, qui adeo spiritum malum canendo non abigunt, ut eum industria suis auditoribus insinuare videantur ? Quorsum enim modulationes istae in lupanari natae, ac non iam timide in sacras aedes irrepentes, sed procaciter irrumpentes, et bacchantium in morem lascivientes tendunt ; nisi, ut qui audiant, lymphati efficiantur ?*

*Huiusmodi corruptelas utique non ferret gravissimus censor Hieronymus ; sed cum ipse, tum quivis alius, cui esset cor, exclamaret Christianae Reipublicae multum interesse funditus eas extolli, priscamque canendi formam reduci ; etenim inquit Cicero lib. 2 de legibus : Assentior enim Platoni nihil tam facile in animos teneros, atque molles influere, quam varios canendi sonos, quorum dici vix potest, quanta sit vis in utramque partem ; nam et incitat languentes, et languefacit excitados, et tum remittit animos, tum contrahit. Ac testatur idem Cicero multarum Civitatum mores in mollitiem lapsos, esse immutatos cum cantibus, et hac dulcedine corruptelaque depravatos, his verbis : Si civitatum hoc multarum in Graecia interfuit, antiquum vocum servare modum, quarum mores lapsi ad mollitiem, sunt pariter immutati cum cantibus. Quidni hoc ipsum intersit christianarum civitatum ? Siquidem primis temporibus omnino ab Ecclesiae modulatione proscrip-  
pta erat etiam cithara, ut ex August. in Psalm. 32 concord. 1 et refert Card. Baron. ann. 60, ubi Spondan. num. 16.*

*Faxit Deus ut musica theatri, mollibusque et effoeminatis cantoribus, qui ut ait Gregor. Magn. lib. 4 Registr. Epist. 44 : Deum moribus stimulant, cum populum vocibus delectant, a sacro ministerio expulsus ; de bene illa morata musica instauranda talis tandem aliquando sancitur lex, qualem a Ioanne XX Pont. Max. sancitam fuisse scimus, ut in Extravag. [Docta] sanctorum Patrum : de vita et honestat. Clericorum. Faxit Deus ut graves, et viriles illi moduli, a quibus olim sanctus August. in Ecclesia Mediolanensi ad fletum se adductum narrat lib. 9 Confess. cap. 6 veluti postliminio in patriam suam redeant. Quantum flevis (aiebat sanctus ille vir) in hymnis et canticis tuis suavis sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter ? Voces illae influebant auribus meis, et eliquibatur veritas tua in cor meum, et ex ea aestuabat affectus pietatis, et corruebant lachrymae, et bene mihi erat cum eis. Utinam Deus catholicis principibus talem mentem instillet ; ita enim non Ecclesiae tantum dedecori, non morum tantum corruptelae ; sed legum etiam Imperiique mutationi, quam profecto (si Platoni lib. 4 Politicorum credimus) novi mollesque cantus inducere solent, obviam ibitur ; ut e contra diversorum sonorum rationabilis et moderatus concentus concordiae varietate compactus, bene ordinatae civitatis significat unitatem, inquit Amalarius de Ecclesiast. Offic. lib. 3. Et haec de cantu et musica.*

<sup>55</sup> LUDOVICUS ANTONIUS MURATORI, *Liturgia Romana Vetus, loc. cit. in textu : Iam a multis saeculis conquesti sunt viri ex pietate, iudicioque subacto commendatissimi, et nostris potissimum temporibus dolent, quod in Dei domum, atque in ipsam praesertim augustissimum Missae sacrificium irreperit mollis illa atque effoeminata musica, quam vel ipsi ethnicorum philosophi e coetu populi eliminandam censuerint, uti animorum ac morum surdam corruptricem. Disputandum aliis relinquo, sitne haec ferenda in theatri ; at quod e theatri in gravissima Ecclesiae Sanctae Mysteria fuerit translata, nemo, qui rem attente consideret, mentemque Ecclesiae exploratam habeat, istud musicae genus laudare possit, ac tolerare velit. Quidquid devotionem non excitat aut alit in divinis Mysteriis, et quod gravius est, ab ea animum avertit, improbandum quis continuo non exclamet ? Ad experientiam nunc provoco. Ubi tot vocum et instrumentorum strepitus, ac tam ingeniosa, ne dicam luxuriosa modulatio in templis resonat, illuc tota aurium atque animorum intentio rapitur ; omnia ad delectationem composita sunt, nihil ad devotionem trahit. Tunc tempus est colligendi mentem, atque habendi sursum corda ad Dominum. Quis non videt distrahi et avocari per ista animum a contemplatione rerum caelestium ? Attamen nos per summam incogitantiam haec miramur, hisce plaudimus ; et tunc nobis videntur festa et sacra Officia eo sollemnius peracta, quo plura exhibentur spectacula, unde oculis et auribus singularis oblectatio praebeatur. Neque perspicimus, nos in istis non quaerere Deum, atque cum eo per mentis nostrae obsequium et cordis affectum uniri, sed nostrorum tantummodo sensuum voluptatem. Quod mirari possis, non haec tantum nostrorum temporum vitia sunt, sed vel ipso christianae aerae saeculo*

absolvamus, nempe de abusu theatralium concertuum in Ecclesiis, qui adeo per se manifestus est, ut nullis indigeat verbis et probationibus ; satis erit indicare, omnes eos, qui superius a Nobis citati sunt, tamquam qui usui cantus figurati seu harmonici et musicorum instrumentorum in Ecclesiis faverent, palam profiteri ac testari se quaecumque scripserunt, ea mente et consilio fecisse, ut nequaquam intelligenda sint de cantu et sono scaenarum ac theatrorum proprio, quem ipsi aequae ac alii reprobant atque execrantur ; sed de cantu et sono, qui Ecclesias decet, et qui populos ad devotionem excitat, quod ex illorum lectione quisque cognoscere poterit.

7. Hoc autem posito, quod in Ecclesiasticis Officiis cantus harmonici seu figurati et musicorum instrumentorum usus receptus sit, et solummodo abusus reprobetur ; quod etiam considerat Binghamus, licet auctor heterodoxus, tom. 6 *Originum Ecclesiastic.*, lib. 14, § 16,<sup>56</sup> sequitur, ut diligenter inquirendum sit, quinam sit usus rectus ac probus, quinam vero abusus. Sed ut quod propositum est, exsequi recteque obire possimus, opus Nobis foret peritia artis musicae, qua praediti fuerunt aliqui ex Nostris Sanctis et praeclaris Praedecessoribus, Gregorius Magnus, Leo II, et Leo IX, et Victor III. At vero quia hanc artem ediscendi nec tempus Nobis neque occasio fuit, aliqua tantum indicare contenti erimus, quae ex Constitutionibus Nostrorum Praedecessorum, et piorum doctorumque hominum scriptis collegimus. Ut autem ordine procedamus, primum verba faciemus de iis, quae in Ecclesiis canenda sunt ; deinde de modo ac ratione, qua cantus institui debet ; denique de Instrumentis musicis Ecclesiarum propriis, quibus in sacris Templis cani debet.

8. Gulielmus Durandus, qui, Apostolicam Sedem gubernante Nicolao III, vixit, usum cantilenarum vulgo motectorum, qui eius aetate vigeat, aperte improbat in *tractatu de modo Generalis Concilii celebrandi*, cap. 19. *Videtur valde honestum esse, quod cantus indevoti et inordinati motectorum et similium non fierent in Ecclesia.*<sup>57</sup> Postea Ioannes XXII Pontifex Praedecessor Noster promul-

*quarto nata ac deplorata fuerunt. Sic cantet servus Christi [sunt verba Hieronymi], ut non vox cantantis, sed verba placeant, quae leguntur ; ut spiritus malus, qui erat in Saule, eiiciatur ab his, qui similiter ab eo possidentur, et non introducatur in eos, qui de Dei domo scaenam fecerunt populorum. Sanctus autem Augustinus inquit : Quum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quae canitur, moveat, poenaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire. Ita Isidorus Pelusiota mulieres damnat, quod in ecclesiis hymnos in dissolutionem et peccati occasionem canerent. Siquidem cantus suavitate ad irritandas et exstimulandas libidines abutentes, nihilo eam scaenis cantilenis praestantiorum esse existimant. Alios in eiusmodi intemperantiam invectos non addo ; neque diutius in hisce immorari lubet, quum persuasum habeam, parum virium habituram esse hanc musicam meam ad expugnandam voluptuosam temporum nostrorum musicam, et ad severiores mores suadendos in divinis Officiis.*

<sup>56</sup> IOSEPHUS BINGHAMUS (latinavit IOANNES HENRICUS GRISCHOVIUS), *Origines Ecclesiasticae*, loc. cit. in textu : *Hoc manifesto indicat, artificialem et melicam canendi rationem, cum musicarum notarum varietate, ad maiorem suavitatem efficiendam institutam, in ecclesiis Italicis aequae usitatum licitamque fuisse ac cantum planum et simplicem ; adeoque Augustinum non recte intelligi ab iis, qui eum in commendationem alterius, in alterius autem derogationem loqui existimant. Magnam enim utriusque instituti agnoscere se fatetur utilitatem, speciatim illius, quum liquida voce et convenientissima cantatur, ideo quidem, ut per oblectamentum aurium infirmior animus in adfectum pietatis adsurgat. Et quoad haec artificialis canendi ratio, debitis limitibus circumscripta, obtinuit, nihil planius est et exploratius, quam quod religiosorum hominum in Ecclesia adsensu generatim fuerit approbata.*

<sup>57</sup> GULIELMUS DURANDUS, *De modo generalis concilii celebrandi*, loc. cit. in textu.

gavit suam Decretalem, quae incipit *Docta Sanctorum*, et inter Extravagantes communes reperitur ; in ea motectorum cantum lingua vulgari se abominari ostendit : *Motetis*, inquit, *vulgaribus nonnunquam inculcant*.<sup>58</sup> Cum itaque examen cantus huiusmodi cantilenarum seu motectorum in Ecclesiis Theologi aggressi fuissent ; ex horum numero Paludanus *in 4 sentent.*, dist. 15, quaest. 5, art. 2, motectorum cantus perinde habuit ac cantationes scaenicas, redarguens eos, qui illis utuntur : *qui canunt, ait, moteta in festis, quia cantus non debet esse tragoedicus*.<sup>59</sup> Favisse videtur motectis Suarez tom. 2 *de Relig.*, lib. 4 *de Horis Canonicis*, cap. 13, num. 16, etiamsi scripta fuerint lingua vulgari, dummodo gravia sint ac devota.<sup>60</sup> Ad suadendum autem id, quod affirmat, affert morem ac usum nonnullarum Ecclesiarum, quae licet a Sapientibus Praelatis regantur, in eis tamen cantilenaе seu modulata carmina non improbantur. Addit insuper, quoniam primis Ecclesiae temporibus quisque fidelium in Ecclesia pios ac devotos hymnos, quos composuerat, cantabat, et veteri hac consuetudine usum motectorum quodammodo approbari. Antevertens autem id, quod ei obiici posset, huiusmodi modulatis carminibus, quae motecta vocant, Ecclesiasticam psalmodiam interrumpi, ita respondet : *Nec interruptio illa, vel mora, quae tunc fit inter partes alicuius horae, reprehensibilis est, quia moraliter veluti continuatur in devotione, quae per cantum illum excitari intenditur : et cantus ille potest conseri veluti dispositio ad sequentia et sollemnis et congrua terminatio praecedentium, et ornatus totius horae*.<sup>61</sup> Vertente an. 1657, Summus Pontifex Alexander VII Constitutionem edidit, cuius initium est : *Piae sollicitudinis*, inter alias autem eiusdem Pontificis num. 36. In hac autem praecepit, ut per id tempus, quo Divina persolvuntur officia, et quo publicae fidelium venerationi in Ecclesiis sacramentum Eucharistiae expositum est, nulla alia carmina seu verba cantentur, nisi desumpta ex Breviario vel Missali Romano ; quae in officiis de proprio, vel de communi, pro currenti cuiusque diei festo, vel Sancti sollemnitate, praescribitur ; vel ex Sacra Scriptura, aut ex Sanctorum Patrum operibus ; ita tamen ut antea a Sacra Rituum Congregatione recensenda et approbanda sint.<sup>62</sup> Porro ex huiusmodi Pontificia Constitutione videtur, cantus motectorum, quae servata ratione ab eodem Alexandro Praedecessore Nostro praescripta, composita, et a

<sup>58</sup> IOANNES PP. XXII, Litt. Decret. *Docta sanctorum* (1324/5) prope initium : *Corpus Iuris Canonici* (ed. Lipsiensis II 1881) 2, coll. 1255–1257.

<sup>59</sup> PETRUS PALUDANUS, *Scriptum in quartum Sententiarum*, loc. cit. in textu.

<sup>60</sup> FRANCISCUS SUAREZ, *Opus de Religione*, loc. cit. in textu : *Potest enim duobus modis talis cantus esse indecens in Ecclesia, scilicet, vel ratione materiae, quia est res profana, vel ratione soni, quia est lascivus vel valde saecularis ; et in priori modo fere semper committitur peccatum mortale, quia est magna irreverentia. In posteriori autem potest esse venialis culpa, vel ratione minimae materiae, vel ex bona intentione et inadvertentia, ut Caietanus dixit 2, 2, quaest. 9, 1. At vero si ea, quae cantantur extra officium Ecclesiasticum ob devotionem et sollemnitatem eius pia sint, et cantus sit gravis ; et provocans ad devotionem, nullum peccatum erit illa intermiscere partibus officii. Et hoc probat consuetudo multarum Ecclesiarum, quae per pios et prudentes ac doctos Praelatos et viros gubernantur et administrantur. Et ratio est, quia hoc nullibi invenitur prohibitum, nec est per se malum, nec alienum a consuetudine Ecclesiae primitivae, quando singuli fideles proprios hymnos a se compositos in Ecclesia cantare solebant.*

<sup>61</sup> *Ibid.*

<sup>62</sup> ALEXANDER PP. VII, Const. Ap. *Piae sollicitudinis* (23 aprilis 1657) 1 : *Bullarium Romanum* (ed. Cherubini 1728), tom. 6, p. 55.

Sacra Congregatione recensita et probata sunt, procul dubio approbatus fuisse. Alexandri Constitutionem Venerabilis Servus Dei Innocentius XI Decreto suo die 3 Decembris 1678 confirmavit.<sup>63</sup> Aliqua tamen dubitatione exorta in intelligenda atque interpretanda Constitutione Alexandri et Decreto Innocentii XI, fel. rec. Innocentius XII Praedecessor Noster die 20 Augusti 1692 aliud Decretum promulgavit<sup>64</sup> quod est numero 76 in eius *Bullario* ; In eo autem offusis variarum interpretationum tenebris penitus dispulsis, rem totam aperiens ac declarans, generatim quarumcumque cantilenarum seu motectorum cantum prohibuit : In sacrarum autem Missarum sollemnibus solummodo permisit ultra cantum Gloriam et Symboli, ut cani posset Introitus, Graduale, et Offertorium ; in Vesperis vero, nulla mutatione etiam minima facta, Antiphonae, quae initio cuiusque Psalmi, vel in eius fine dicuntur. Insuper voluit et iussit, ut cantores Musici omnino legem Chori sequerentur, et cum eo prorsus convenirent, et quemadmodum in Choro fas non est aliquid addere Officio vel Missae ita etiam musicis noluit id licere ; et illud dumtaxat concessit, ut ex Officio et Missa, quae in sollemnitate Sanctissimi Sacramenti Corporis Domini celebrari solet, nimirum ex hymnis S. Thomae, vel ex Antiphonis, aliisque relatis in Breviario ex Missali Romano, carmen aliquod seu motectum, nulla verborum varietate desumi et cantari posset ad fidelium devotionem excitandam, dum sacra Hostia elevatur, vel publice veneranda et colenda exhibetur.

9. Lege autem Ecclesiasticis cantiunculis seu modulatis carminibus aut motectis posita, negari nequit, non parum momenti ad removendos ab Ecclesiis theatrales cantus allatum esse, sed necesse est fateri, ad finem propositum assequendum id non sufficere. Fieri enim potest et nimis etiam non sine nostro dolore fit, ut cantus Gloriam, Symboli, Introitus, Gradualis, Offertorii, et caeterorum omnium, quae rite ac de more in Missis et Vesperis, ut supra dictum est, cantari solent, theatriali more et scaenico strepitu peragatur. Magnus Episcopus Gulielmus Lindanus in sua *Panoplia Evangelica* lib. 4, cap. 78, cantui musico in Ecclesiis non adversatur ; sed frequentes repetitiones et vocum confusiones improbat proponitque ut in Ecclesiis ea musica adhibeatur, quae consentanea sit rebus, quae canuntur. *Quamquam non me fugiat, quibusdam musicam cum organis et musicis rectius videri retinendam, quibus equidem perlibenter assentiar, si una pro isto musices genere, quod nunc passim Ecclesias occupat, aliud introducatur, et gravius, et rebus ipsis convenientius, et si non, ut oportet, pronuntiationi, quam cantui vicinius, saltem rebus, quae canuntur, aptius atque accommodatius.*<sup>65</sup> Drexelius in suo opere *Rhetoricae coelestis* lib. 1, cap. 5, opportune ad rem nostram ita exclamat : *Hic pace vestra dixerim, o musici, nunc Templis cantandi genus dominatur novum, sed exorbitans, concisum, saltatorium, et parum profecto religiosum, theatro aut choreis conventius, quam Templo. Artificium*

<sup>63</sup> INNOCENTIUS PP. XII (subscripsit eiusdem Vicar. Gen. GASPAR S. R. E. Card. CARPINEUS), Declaratio circa Musicam (20 augusti 1692) prope initium : *Bullarium Romanum* (ed. Cherubini 1728), tom. 7, p. 266 : *La Santità di Nostro Signore havendo inteso, che nelle Chiese in occasione di Musiche si era di nuovo posto in abuso l'ordine pubblicato già dalla san. mem. di Alessandro VII con sua Bolla in data delli 13 aprile 1657, e rinovato poscia dalla san. mem. d'Innocenzo XI li 3 settembre 1678, [...]*

<sup>64</sup> *Ibid.*, pp. 266–267.

<sup>65</sup> GULIELMUS DAMASUS LINDANUS, *Panoplia Evangelica*, loc. cit. in textu.

quaerimus, et perdimus priscum precandi ac cantandi studium. Curiositati consulimus, sed revera negligimus pietatem. Quid enim novitia haec et tripudians cantandi ratio, nisi concordia est, in qua cantores velut actores sunt, quorum modo unus prodit, modo duo, modo simul prodeunt omnes, et modulatis vocibus colloquuntur, mox iterum unus triumphat solus, caeteris brevi secuturis.<sup>66</sup> Recens scriptor Benedictus Hieronymus Feijoo Magister Generalis Ordinis S. Benedicti in Hispaniis in suo *Theatro critico universalis*, serm. 14, peritia et Scientia notarum musicarum innixus, rationem indicat, qua redigi possent musicae Ecclesiarum ad eum modum et rationem, quae in omnibus penitus esset Theatrorum musicis concentibus dissimilis.<sup>67</sup> At vero Nobis satis erit, prae oculis habitis Sacrorum Concilium regulis et probatorum Scriptorum sententiis, illud admonere, quod si Musicus theatrorum cantus ita instituitur, ut, quemadmodum Nobis relatum est, populus spectator et auditor harmonicis quidem cantorum modulationibus oblectetur, artificio musicae artis gaudeat numerisque musicis delectetur, melodia et suavitate vocum fruatur; verba autem plerumque non recte percipiat: Diversum utique et contrarium omnino in Ecclesiastico cantu servari debet, in quo illud in primis curandum est, ut verba perfecte planeque intelligantur. Nam cum in Ecclesiis concentus musicus receptus sit ad erigendas hominum mentes in Deum, ut docet S. Isidorus, lib. 1 *de Eccl. Off.*, cap. 5, *Psalterium idcirco cum melodia cantilenarum suavium ab Ecclesia frequentatur, quo facilius animi ad compunctionem flectantur.*<sup>68</sup> Id certe obtineri difficile potest, si verba non audiantur. In Concilio Cameracensi an. 1565, tit. 6, cap. 4, tom. 10, *collect. Hard.*, pag. 582, ita constituitur. *Caeterum quae in Choro cani debent ad*

<sup>66</sup> IEREMIAS DREXELIUS, *Rhetorica coelestis*, loc. cit. in textu.

<sup>67</sup> BENEDICTUS HIERONYMUS FEJOO ET MONTENEGRO, *Teatro crítico universal*, serm. 14, § 3, nn. 7-9: ¡O cuánto mejor estuviera la Iglesia con aquel canto llano, que fue el único que se conoció en muchos siglos, y en que fueron los máximos maestros del orbe los monjes de San Benito (incluyendo en primer lugar a San Gregorio el Grande y al insigne Guido Aretino), hasta Juan de Murs, doctor de la Sorbona, inventó las notas que señalan la varia duración de los puntos! En verdad que no faltaban la sencillez de aquel canto melodías muy poderosas para conmovier y suspender dulcemente los oyentes. Las composiciones de Guido Aretino se hallaron tan patéticas que, llamado de su monasterio de Arezzo por el Papa Benedicto VIII, no le dejó apartar de su presencia hasta que le enseñó a cantar un versículo de su antifonario, como se puede ver en el cardenal Baronio al año de 1022. Este fue él que inventó el sistema músico moderno o progresión artificiosa de que aun hoy se usa y se llama la escala de Guido Aretino, y juntamente la pluralidad armoniosa de las voces y variedad de consonancias; la cual si, como es más verisímil, fue conocida de los antiguos, ya estaba perdida del todo su noticia.

Una ventaja grande tiene el canto llano, ejecutado con la debida pausa, para el uso de la Iglesia, y es que, siendo por su gravedad incapaz de mover los afectos que sugieren en el teatro, es aptísimo para inducir los que son propios del templo. ¿Quién, en la majestad sonora del himno *Vexilla Regis*, en la gravedad festiva del *Pange lingua*, en la ternura luctuosa del *Invitatorio de Difuntos*, no se siente conmovido, ya a veneración, ya a devoción, ya a lástima? Todos los días se oyen estos cantos, y siempre agradan; al paso que las composiciones modernas, en repitiéndose cuatro o seis veces, fastidian.

No por eso estoy reñido con el canto figurado o, como dicen comúnmente, de órgano. Antes bien conozco que hace grandes ventajas al llano; ya porque guarda sus acentos a la letra, lo que en el llano es imposible; ya porque la diferente duración de los puntos hace en el oído aquel agradable efecto que en la vista causa la proporcionada desigualdad de los colores. Solo el abuso que se ha introducido en el canto de órgano me hace desear el canto llano; al modo que el paladar busca ansioso el manjar menos noble, pero sano, huyendo del más delicado si está corrupto.

<sup>68</sup> S. ISIDORUS HISPALENSIS, *De Ecclesiasticis Officiis*, loc. cit. in textu.

*instructionem, ea canantur voce, ut intelligantur mente.*<sup>69</sup> Et in Concilio Coloniensi, quod congregatum est an. 1536, cap. 12, tit. *de offic. priv.*, talia leguntur : *Iam et illud non recte fit in quibusdam Ecclesiis, ut ob cantorum et organorum concentum, omittantur, aut decurtenantur ea, quae sunt praecipua. Cuius generis sunt recitatio verborum Propheti-  
corum aut Apostolicorum, quam Epistolam vocamus, Symbolum Fidei, Praefatio, quae et gratiarum actio, atque precatio Dominica. Quamobrem haec tota distinctissime ac intelligibiliter, uti caetera omnia, decantentur.*<sup>70</sup> In Concilio autem Mediolanen. primo habito an. 1565, par. 2, n. 51, in praedicta Harduini *collectione*, pag. 687, talia leguntur : *In Divinis Officiis, aut omnino in Ecclesiis, nec profana cantica sonive, nec in sacris canticis molles flexiones, voces magis gutture oppressae, quam ore expressae, aut denique lasciva ulla canendi ratio adhibeatur. Cantus et soni graves sint, pii, ac distincti, ac domui Dei, ad Divinis laudibus accommodati, ut simul et verba intelligantur, et ad pietatem auditores excitentur.*<sup>71</sup> In hac re, de qua agitur, gravis est sermo Patrum, qui in Concilio Toletano convenerunt an. 1566, act. 3, cap. 2, in laudata *Collectione*, pg. 1164. *Cum ea, aiunt, quae in Ecclesiis cantantur ad Dei laudem celebrandum, eo debeant cantari modo, quo populi intelligentia, quantum fieri possit, erudiri valeat, et Religiosa pietatis ac devotionis moderatione, piorum auditorum mentes ad Divinae Maiestatis cultum, et coelestia desideria excitari queant ; caveant Episcopi, ne dum in chorum musicorum modulos vocum omnis generis discrimine confusos admittunt, psalmodum et aliorum, quae cantari solent, verba obscurentur, ac simul strepitu incondito sensus sepeliatur. Sic denique musicam, quae organica dicitur, retineant, ut eorum, quae cantantur, verba et intelligi possent, et potius pronuntiatione, quam curiosis modulis audientium animi Divinis laudibus afficiantur.*<sup>72</sup> Ex his autem aperte comperitur, quam merito his verbis questus sit Episcopus Lindanus *loco citato* : *Non enim nunc suo cantu musici auditorum animos tam ad pietatis cultum coelestiasque excitant desideria, quam avocant, avertunt, alienant. Scio enim aliquando Divinis me interfuisse laudibus, cum vel attentissimus auscultarem, ecquid forte psalleretur, ne unum quidem potuisse intelligere verbum : ita erant omnia syllabarum repetitionibus commixta, vocibus confusa, clamoribus potius horridulis, et inconditu boatu, quam cantu obscurata*<sup>73</sup> : Tum etiam quam pium fuerit desiderium, et quam prudens sit exhortatio, qua musicos ad pietatem incitavit Drexelius *loco pariter citato* : *Reviviscat, obsecro, saltem aliquid priscae Religiositatis in sacra musica. Quod si cordi est, et curae Divinus honor, hoc agite, viri, hoc laborate, ut quae cantantur verba, simul etiam intelligantur. Quid enim mihi varius in Templo sonus, quid multiplex concentus, si desit ei nucleus, si sensum et verba, quae concentu sunt instillanda, percipere nequeam ?*<sup>74</sup> Et demum ostenditur non sine causa Cardinalem Dominicum Capranicum, cum sacrae cuidam functioni Divinisque Officiis interfuisset, quae cantu musico peracta fuerant, ita tamen ut verba non audirentur, rogatum a Summo Pontifice

<sup>69</sup> CONCILIUM CAMERACENSE, *loc. cit.* in textu : *Conciliorum Collectio*, tom. 10, p. 582.

<sup>70</sup> CONCILIUM PROVINCIALE COLONIENSE I, pars II, cap. xii : *Conciliorum*, tom. 35, p. 30.

<sup>71</sup> CONCILIUM PROVINCIALE MEDIOLANENSE I, *loc. cit.* in textu : *Conciliorum Collectio*, tom. 10, p. 687.

<sup>72</sup> CONCILIUM TOLETANUM, *loc. cit.* in textu : *op. cit.*, p. 1164.

<sup>73</sup> GULIELMUS DAMASUS LINDANUS, *op. cit.*, *loc. cit.*

<sup>74</sup> IEREMIAS DREXELIUS, *op. cit.*, *loc. cit.*



Nicolao V quid de musicis illis cantionibus ei videretur, ea respondisse, quae legi possunt apud Poggium in *vita*<sup>75</sup> eiusdem Cardinalis edita a Balutio, lib. 3 *miscellaneorum*, § 18, pag. 289.<sup>76</sup> Magnus Pater Augustinus, lib. 9 *Confess.*, cap. 6, de se ipse testatur, cum in Ecclesia suaves hymnorum cantus audiret, in lacrimas effundi consuevisse : *Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter. Voces illae influebant auribus meis, et eliquebatur veritas tua in cor meum, et ex ea aestuabat : Inde affectus pietatis, et currebant lacrimae, et bene mihi erat cum eis.*<sup>77</sup> Cum autem ea magna delectatio, quam audiendis Ecclesiasticis hymnis percipiebat, in religionem ei venisset, et ideo quadam severitate morum Deique offensae metu, cantum illum, quo sensibilis illa oblectatio ipsi creabatur, improbandum esse censeret ; postea re melius expensa, sententiam mutavit, eo quia animus eius commoveretur non solo cantu, sed verbis cantui coniunctis, ut ipse aperte declarat lib. 10 *Confess.*, cap. 33.<sup>78</sup> Flebat igitur Augustinus tenerrimo pietatis sensu, cum audiret in Ecclesiis sacrarum rerum cantus, probe audiens et intelligens verba, quae cantu efferebantur : Fleret forsitan etiamnum ipse, si nonnullarum Ecclesiarum musicos cantus audiret, non pietatis sensu, sed doloris, quod cantum perciperet, verba autem non intelligeret.

10. Hactenus de cantu musico : Consequens est, ut de sono organi musici aliorumque instrumentorum, quorum usus, ut supra diximus, in aliquibus Ecclesiis admissus est, verba faciamus. Siquidem et de eo agere necesse est, quia si cantum minime decet esse theatralem, utique neque sonum. Profecto Hebraeis

<sup>75</sup> Quam scripsit reapse IOANNES BAPTISTA BRACCIOLINI.

<sup>76</sup> IOANNES BAPTISTA POGGIUS, *Vita Dominici Capranici : Miscellanea*, lib. 3, § 18, pag. 289 : *In cetera vero vita adeo integer vixit ut nec multis annis valetudine adversa laboraverit, nec vita ab invidis malevolisque ulla in re unquam culpam potuerit. Quod si integritas in omnibus laudanda est, in iis tamen qui in imperio aut potestate sunt admiratione digna videri debet. Nam multi, quos etiam vidimus, licet in parva fortuna continentes, integri, casti, liberales fuerint, tamen postquam ad potestatem rerum pervenire, intolerabiles, avari, luxuriosi, superbi, maxima licentia facti sunt, ignari tales solere esse dignitates quales sint qui illis praesunt, arbitrari praeterea omnes sanae mentis illas non semper virtutum praemia esse, sed fortunae beneficia ; cum extolli in dies videamus nulla doctrina, nulla virtute homines insulsos, stupidos, nunquam sobrios, quos nisi summo fastidio videre tamquam personatos nequeamus. Hic tamen in tanta rerum licentia, quam omnium rerum impunitas sequatur, unde etiam homines solent plerumque fieri deteriores, talem se ubique semper praebuit ut non minus dignitatem illam Dominico egere quam Dominicum illa honestatum appareret, documentoque fuerit suos cuique mores fortunam fingere. Mendacium nec ioco quidem unquam dixit, nec pati potuit, dicens nil magis alienum ab homine esse debere. In loquendo vero liber adeo ut nec Pontifici parceret. Eo dicente aliquando publice, De fratrum nostrorum consilio et voluntate fecimus, surrexit Dominus ; detectoque capite, se nihil unquam de ea re audivisse affirmavit. Nicolaus cellam, quam sumptuosissimam in pontificia, quae est in Vaticano, Deo immortaliter exerat, cum multis cantoribus repletisset, et aliquando Dominicum percunctaretur post Missam, tamquam de re honorificentissima facturum foret, quid ei de illo canentium choro videretur, respondit sacculum sibi porcellis plenum videri, audiri namque clamantium strepitum, sed nihil ex eo percipi. Cuidam stipem petenti, quod manus Catalanorum elapsus esset, quasi ob eam rem mendicare cogere, et alii ad misericordiam commoverentur, ad adstantes conversus. Quid ergo, inquit, debetur nobis qui in eorum manibus sumus ? de Callisto locutus.*

<sup>77</sup> S. AUGUSTINUS, *Confessiones*, loc. cit. in textu.

<sup>78</sup> S. AUGUSTINUS, *Confessiones*, loc. cit. in textu : *Tamen cum mihi accidit, ut me amplius cantus quam res, quae canitur, moveat, poenaliter me peccare confiteor, et tunc mallet non audire cantantem.*

hac de re omnis dubitatio longe aberat, an scilicet dissimilis esse deberet cantus in Templo a profanis cantionibus theatrorum. Nam e Sacris Scripturis comperitur, cantus et musicorum instrumentorum sonos usui fuisse in Templo, non autem in theatris, ut bene advertit Calmet in sua *dissertatione de musica Hebraeorum*.<sup>79</sup> At vero Nobis opus est, limites cantui et sono Ecclesiarum et theatrorum praescribere ; et discrimen inter utrumque definire, cum per id tempus cantus figuratus seu harmonicus cum sono instrumentorum in theatris aequae ac in Ecclesiis locum obtinuerit. Et quoniam de cantu iam satis verba fecimus, superest, ut etiam de sono idem agamus. Ut vero sermo ordine suo ac via progrediatur, primum de instrumentis musicis, quorum usus in Ecclesiis tolerari potest ; deinde de illorum instrumentorum sono, qui cantui sociari solet ; et demum de sono separatim a cantu, hoc est de instrumentorum symphonia Nobis differendum erit.

11. Et quidem quod ad instrumenta attinet, quae in Ecclesiis permitti possunt, Benedictus Hieronymus Feijoo in allegato sermone 14, § 11, num. 43, organa aliaque instrumenta admittit, amoveri autem vellet lyras tetrachordas : Quoniam cum illae plectro tanguntur, harmonicis quidem modos edunt, sed adeo acutos, ut puerilem in nobis potius hilaritatem, quam gravem erga sacra mysteria venerationem animorumque intentionem excitent.<sup>80</sup> Bauldry in *manual. sacrar. caeremon.*, par. 1, cap. 8, num. 14, vellet, ut caneretur in Ecclesiis organo tantum pneumatico, tubis, caeterisque instrumentis inflatilibus seu pneumaticis : *Nec alia instrumenta musicalia cum organo pulsantur, nisi tubae, tibiae aut*

<sup>79</sup> ANTONIUS AUGUSTINUS CALMET, *Dissertation sur la Musique des Anciens, et en particulier des Hébreux*, prope finem : *Discours et dissertations sur tous les livres de l'Ancien Testament*, tom. 2, pp. 620–621 : *Je ne vois pas dans l'écriture que les hébreux ayent eu l'usage de la musique pour les théâtres, ni pour les représentations. Ils ne connoissoient point cette sorte de divertissement : elle est récente même chez les grecs ; mais ils avoient de poésies, et par conséquent de la musique de toutes les autres sortes. On trouve dans l'écriture des cantiques de victoire, des invectives, des actions de grâces, des épithalames, des regrets, des chants de joie, des psaumes moraux et instructifs, des modèles de prières. Le Cantiques des Cantiques est une espèce de pièce dramatique ; mais elle n'est point de nature à être représentée, non plus que ces psaumes, où l'on remarque un dialogue entre Dieu et le Psalmiste ou le Juste. Le livre des Justes, qui est quelquefois cité dans Josué, et dans les Rois, paroît avoir été une histoire en vers ; de cette sorte de poésie antique dont on trouve quelque débris dans les sentences des anciens philosophes. L'écriture parle aussi des chansons pour les vendanges, et des chansons à boire : In me psallebant qui bibebant vinum, dit le Psalmiste. Malheur à vous, qui employez la cithare, et la lyre, le tambour et la flute, dans festins, dit Isaïe, a pendant que vous négligez les œuvres du Seigneur, et que vous ne considérez point ses merveilles. Et Amos : Malheur à vous, qui chantez au son des instruments de musique. Ils croient avoir meilleur vin dans leur coupe, et se parfument des huiles les plus précieuses, sans se mettre en peine de la douleur de Joseph. Ce sont là les abus que faisoient de la musique les mauvais israélites : mais cela prouve le grand usage où elle étoit parmi eux. Cela paroît encore par plusieurs passages de l'Ecclésiastique. Voyez Eccli. 32, 5, 6, 7 ; 40, 20 ; et 49, 2.*

<sup>80</sup> BENEDICTUS HIERONYMUS FEIJOO ET MONTENEGRO, *op. cit.*, *loc. cit.* in textu : *Conozco y confieso que es mucho más fácil que yo no extienda a Santo Tomás, que no que el santo dejase de decir muy bien. Mas en fin, la práctica universal de toda la Iglesia autoriza el uso de los instrumentos. El caso está en la elección de ellos. Y por mí digo que los violines son impropios en aquel sagrado teatro. Sus chillidos, aunque armoniosos, son chillidos, y excitan una viveza como pueril en nuestros espíritus, muy distante de aquella atención decorosa que se debe a la majestad de los misterios; especialmente en este tiempo que los que componen para violines ponen estudio en hacer las composiciones tan subidas que el ejecutor vaya a dar en el puente con los dedos.*

*cornua*.<sup>81</sup> E diverso Patres primi Concilii Provincialis Mediolanensis sub S. Carolo Borromaeo, tit. *De Music. et Cantor.*, nominatim reiiciunt ab Ecclesiis instrumenta inflatilia : *Organo tantum in Ecclesia locus sit : tibiae, cornua, et reliqua musica instrumenta excludantur*.<sup>82</sup> Hominum prudentum et illustrium Magistrorum artis musicae consilium exposcere Nobis curae fuit ; consentaneum autem cum eorum sententiis est, ut Fraternitas Tua, si in tuis Ecclesiis instrumentorum usus introductus est, cum organo musico nullum aliud instrumentum permittat, nisi barbiton tetrachordon maius, tetrachordon minus, monaulon pneumaticum, fidiculas, lyras tetrachordes : haec enim instrumenta inseruiunt ad corroborandas sustinendasque cantantius voces. Vetabit autem tympana, cornua venatoria, tubas, tibias decumanas, fistulas, fistulas parvas, psalteria symphoniaca, cheles, aliaque id genus, quae musicam theatralem efficiunt.

12. Praeter haec autem, de usu instrumentorum, quae in Ecclesiasticis musicis permitti possunt, nihil monebimus, nisi ut illa adhibeantur solummodo ad vim quamdam verborum cantui quodammodo adiiciendam, ut magis magisque audientium mentibus eorum sensus instigatur, commoveanturque fidelium animi ad spiritualium rerum contemplationem, et erga Deum Divinarumque rerum amorem incitentur, et apposite expendit Valentia tom. 3, II, II, S. Thomae disp. 6, quaest. 9, punct. unic., ubi tractans de utilitate musicae et musicorum instrumentorum in Ecclesiis : *Ad excitandum, inquit, interiorum affectum tum proprium tum etiam aliorum, praesertim vulgarium, qui interdum adeo infirmi sunt, ut non modo vocum cantu, sed etiam organis et musicis instrumentis ad sensum rerum spiritualium concitandi sint*.<sup>83</sup> At vero si instrumenta [continenter]<sup>84</sup> personent, et solum interdum, ut hodie fieri solet, per momenta aliqua interquiescant, ut liberum spatium audiendis harmonicis modulationibus, crispatisque iaculationibus vocum, vulgo *trilli*, praebeant ; caeterum opprimant sepeliantque cantantium vocem sonumque verborum, frustraneus est et inutilis huiusmodi instrumentorum usus, imo vetitus atque interdictus. Pontifex Ioannes XXII in laudata Extravagan. *Docta Sanctorum* inter musicae abusus enumerat illum, quem his verbis exprimit : *Melodiam hocquetis intersecant*<sup>85</sup> ; id est *singultibus* : quemadmodum explicat Carolus Dufresne in suo *Glossario*<sup>86</sup> ; hoc nomen dedit

<sup>81</sup> MICHAËL BAULDRY, *Manuale sacrarum caeremoniarum, loc. cit.* in textu.

<sup>82</sup> CONCILIUM PROVINCIALE MEDIOLANENSE I, *loc. cit.* in textu : cf. *Acta Ecclesiae Mediolanensis* (ed. Pagnonio 1843), tom. 1, pag. 57.

<sup>83</sup> GREGORIUS DE VALENTIA, *Commentaria Theologica, loc. cit.* in textu.

<sup>84</sup> Hic verbum *continentur*, ut legatur in aliis exemplis, correctum est in *continenter*.

<sup>85</sup> IOANNES PP. XXII, *op. cit.*, prope initium : *Corpus Iuris Canonici* (ed. Lipsiensis II 1881) 2, col. 1257.

<sup>86</sup> CAROLUS DUFRESNE, DOMINUS DU CANGE, *Glossarium mediae et infimae latinitatis* (ed. Favre 1863), tom. 3, pag. 231 : HOQUETUS, Singultus, Gallice *Hoquet*. Bulla Ioannis XXII. Pp. in Extravag. de Vita et honestate Clericorum, ubi de musicis sui temporis : *Nonnulli novae scholae discipuli ... melodias Hoquetis intersecant*.

\* Hinc *Hoquet* dixerunt Ictum sub mento inflictum, quod sonum singultus efficiat. Lit. remiss. ann. 1385 in Reg. 127 Chartoph. reg., ch. 76 : *Icellui Perrinet fist un petit Hoquet de sa main au menton dudit Symon en lui levant hault son menton par un cop seulement. Icellui Jehan bailla audit son compaignon un Hoquet par le menton*, in aliis ann. 1394 ex Reg. 147, ch. 12. *Hoqueter* vero, est Quatere, [succutare], vulgo *Ebranler en secouant*. Lit. remiss. ann. 1408, in Reg. 162, ch. 252 : *Icelle jeune fille oy gens qui Hocquetoient à l'uis du jardin*. Aliae ann. 1410. in Reg. 164, ch. 280 : *Quand le suppliant ne trouvoit point l'huis ouvert, il faisoit tant en le Hoquetant et sour-*

conclisis illis modulationibus, vulgo *trilli*.<sup>87</sup> Magnus Episcopus Lindanus *loco laudato* invehitur contra abusum opprimendi instrumentorum sono verba cantantium : *Tubarum clangore, cornutorum stridore, alioque strepitu vario, ne quid praetermittere videantur, quod cantici verba semel obscuret, sensumque sepeliat et adobruat*.<sup>88</sup> Pius et doctus Cardinalis Bona in pluries laudato tractatu *de Divina Psalmodia*, cap. 17, § 1, num. 5, apposite ad rem nostram : *Desino, ait, si prius admoveo Ecclesiasticos Cantores, ne ad usum illicitae voluptatis assumant, quod Sancti Patres ad effectum pietatis instituerunt. Talis enim debet esse sonus, tam gravis, tam moderatus, ut non totum animum ad sui rapiat oblectationem, sed eorum, quae cantantur, sensui et pietatis affectui, maiorem [relinquat]<sup>89</sup> portionem*.<sup>90</sup>

13. Demum quoad symphonia attinet, tolerari poterunt, ubi earum usus iam receptus est, dummodo graves sint, et earum prolixitudine aut diuturnitate taedium et fastidium non afferant iis, qui adsunt in Choro vel Altari in Vesperis aut in Missis inserviunt. De huiusmodi symphoniis agit Suarez lib. 4, cap. 13, num. 17 : *Unde etiam intelligitur non esse per se damnabilem usum intermiscendi in Divinis Officiis sonum organorum sine ullo cantu, solum cum suavitate musicae instrumentorum, ut sit interdum in Missa sollemni, vel in Horis canonicis inter Psalmos ; quia tunc ille sonus non est pars Officii, et fit ad sollemnitatem et reverentiam ipsius Officii, et ad levandos animos fidelium, ut facilius ad devotionem assurgant seu disponantur. Quamvis autem ad illum sonum nihil voce cantetur, oportet, ut sonus ipse gravis sit et aptus ad excitandum devotionem*.<sup>91</sup> Hoc autem loco silentio praetereundum non est, rem maxime indecoram esse et minime ferendam, quibusdam anni diebus sumptuosas personantesque symphonias musicosque cantus in Sacris Templis celebrari, quae minime conveniunt sacris mysteriis, quae Ecclesia fidelibus per id tempus recolenda proponit. Exclamat ardenti zelo motus saepe laudatus Magister Generalis Ordinis S. Benedicti in Hispaniis *in laudato* sermone 14, § 9 contra modulos et cantilenas heu nimium adhibitae in canendis lamentationibus Ieremiae Prophetiae, quae ab Ecclesia dicendae praescribuntur diebus Maioris Hebdomadae, in quibus modo eversio Urbis Hierosolymae per Chaldaeos, modo mundi excidium per peccata, modo Ecclesiae militantis afflictiones in persecutionibus, modo Redemptoris Nostri angustiae in suis passionibus deplorantur.<sup>92</sup> Lucensis Eccle-

*dant, que il ouvreit.*

<sup>87</sup> Vox latina *hoquetus* quam scribit Ioannes Pp. XXII e gallico verbo *hoquet* plerumque interpretato ut *singultus* venit. Contextus vero in quo invenitur *hoquetus* dissuadet assumi illam mentem e gallico sensu propositam, sed urget nos tempus quo promulgatae fuerunt decretales reputare. Quo facto, intelligitur verbum *interseco*, quod effectum *hoquetus* vel actionem significat, uti simile verbis *separo* ac *divido*. Itaque, *hoquetus* indicat illud modum distribuendi cantus tenorem in duabus vocibus dissimilibus et distinctis, alternatim sonum producentibus et silentium, ita ut cum canit una sileat altera.

<sup>88</sup> GULIELMUS DAMASUS LINDANUS, *op. cit., loc. cit.* in textu.

<sup>89</sup> Hic verbum *relinquant*, ut legatur in aliis exemplis, correctum est in *relinquat*.

<sup>90</sup> IOANNES S. R. E. Card. BONA, *op. cit., loc. cit.* in textu.

<sup>91</sup> FRANCISCUS SUAREZ, *op. cit., loc. cit.* in textu.

<sup>92</sup> BENEDICTUS HIERONYMUS FEIJOO ET MONTENEGRO, *op. cit., loc. cit.* in textu, num. 33 : *Lo que se ha dicho hasta aquí del desorden de la música de templos, no comprende solo las cantadas en lengua vulgar; mas también salmos, misas, lamentaciones y otras partes del Oficio Divino, por-*

sia, sedente in Apostolica Cathedra Sancto Praedecessor Nostro Pio V, regebatur ab Alexandro zelantissimo Ecclesiasticae disciplinae pastore ; qui cum animadvertisset, diebus Maioris Hebdomadae, exquisitissimos omnis vocum instrumentorumque generis concentus in Ecclesiis fieri consuevisse, cum sacrarum functionum, quae illis diebus celebrantur, moestitia minime consentientes, ad illos autem audiendos homines utriusque sexus magna frequentia cupidissime confluere, et gravia inde peccata et scandala committi, promulgato edicto, eos Hebdomada Sancta et tribus subsequentibus Paschatis diebus fieri prohibuit. Cum autem quidam exempti ab Episcopi iurisdictione se Episcopali lege minime teneri praetenderent, Episcopus rem detulit ad Summum Pontificem Pium V, qui in eius Brevi dato die 4 Aprilis 1571, deplorata primum humanarum mentium et carnalium hominum caecitate, qui non solum in diebus sacris, sed potissimum in illis, qui memoriae passionis Christi Domini recolendae speciatim ab Ecclesia assignati sunt, posthabita pietate et sincerae mentis puritate, munda-  
narum oblectationum illecebris et sensuum voluptatibus se regendos ferendosque tradunt : *Quod, inquit, cum in omnibus sacris temporibus, tum in eo praecipue cavendum vitandumque est, quod Dominicae passionis memoriae recolendae ab eadem Ecclesia statutum assignatumque fuit, in quo ipso tempore maxime decet omnes Christifideles tota mente ad contemplandum tale tantumque Redemptoris Nostri beneficium conversos, se ipsos ab omni cordis sensusque impuritate immunes liberosque praestare.*<sup>93</sup> Refert post haec abusum, qui in Ecclesiam Lucensem irrepserat ; exquisitos seligendi per Hebdomadam Sancta excellentesque musicos, et colligendi omnis generis instrumenta ad sollemnes concentus musicos celebrandos ; *Nuper non sine magno animi dolore intelleximus, in ista Civitate, cuius Episcopatum geris, abusum quemdam valde detestabilem irrepsisse, exquisitissimas omnis vocum instrumentorumque generis musicas in Ecclesiis per Hebdomadam Sanctam adhibendi, ad quas potius, quam ad Divina Officia audienda, omni utriusque sexus iuventute magna frequentia cupidissime confluenta, gravia peccata nec minora scandala committi experientia comprobatum est.*<sup>94</sup> Demum laudat edictum Episcopi et decretis sacrosancti Tridentini Concilii inhaerens declarat, eodem edicto comprehendi atque obligari etiam Ecclesias, quae

*que en todo se ha entrado la moda. En Lamentaciones impresas he visto aquellas mudanzas de aires, señaladas con sus nombres, que se estilan en las cantadas. Aquí se leía grave, allí airoso, acullá recitado. ¿Qué aun en una Lamentación no puede ser todo grave? ¿Y es menester que entren los airecillos de las comedias en la representación de los más tristes misterios? Si en el cielo cupiera llanto, lloraría de nuevo Jeremías al ver aplicar tal música a sus trenos. ¿Es posible que, en aquellas sagradas quejas, donde cada letra es un gemido, donde, según varios sentidos, se lamentan, ya la ruina de Jerusalén por los caldeos, ya el estrago del mundo por los pecados, ya la aflicción de la Iglesia militante en las persecuciones, ya en fin la angustia de nuestro Redentor en sus martirios, se han de oír airosos y recitados? ¿En el alfabeto de los penitentes, como llaman algunos expositores a los Trenos de Jeremías, han de sonar los aires de festines y serenatas? ¡Con cuánta más razón se podía exclamar aquí con la censura de Séneca contra Ovidio, porque en la descripción de un objeto tan trágico, como el Diluvio de Deucalión, introdujo algún verso tanto cuanto ameno! Non est res satis sobria lascivire devorato orbe terrarum. No sonó tan mal cítara de Nerón cuando estaba ardiendo Roma, como suena la armonía de los bailes cuando se están representando tan lúgubres martirios.*

<sup>93</sup> S. PIUS PP. V, Epistola *Nihil aequè* (4 aprilis 1571) prope initium : cf. *Annales Ecclesiastici* (ed. de Laderchio 1880), tom. 35, pag. 284.

<sup>94</sup> *Ibid.*, circa medium.

ab auctoritate Ordinaria, privilegio Apostolico, vel alio quocumque iure exemptas se esse contendunt.<sup>95</sup> In Concilio Romano, quod novissime habitum est ann. 1725, tit. 15, num. 6, varia leguntur Decreta de usu musici cantus instrumentorumque in Adventu, in Dominicis Quadragesimae, et in exsequiis mortuorum ; quae satis sit indicasse.<sup>96</sup>

14. Legisse Nos meminimus, cum Imperator Carolus Magnus secum proposuisset Ecclesiasticum cantum in Ecclesiis Galliae incompte atque inscite habitum, ad regulas artis redigere, impetrasse a Pontifice Adriano I, ut homines sibi Ecclesiasticae musicae periti ab Urbe mitterentur, a quibus in Galliarum Regnum Romanus cantus facile introductus est, ut quisque per se agnoscere potest ex Paulo Diacono lib. 2 *Vit.*<sup>97</sup> S. Greg., cap. 9,<sup>98</sup> et ex [Radulpho]<sup>99</sup> Tungrensi *de Can. obser.* prop. 12,<sup>100</sup> S. Antonin. in *Sum. Hist.*, par. 2, tit. 12, cap. 3.<sup>101</sup> Mo-

<sup>95</sup> *Ibid.*, prope finem.

<sup>96</sup> CONCILIUM ROMANUM, *loc. cit.* in textu, cap. 6 : cf. *Concilium Romanum* (ed. Giannini 1725), pag. 53 : *Pro eo autem, quod musicam in Ecclesiis spectat, praeter Extravagantem Docta de vita et honestate Clericorum, Edictum pariter fel. rec. Alexandri VIII innovandum esse statuimus, prout hoc nostro Decreto innovamus : ulteriusque prohibendum ducimus, ne in Missis Defunctorum, diebusque Adventus et Quadragesimae, festis dumtaxat exceptis, organa pulsantur, nec aliud quodvis musicum instrumentum adhibeatur : quo tempore, Dominica scilicet Adventus tertia, dicta Gaudete, et Quadragesimae quarta, nuncupata Laetare, pulsari organa permittuntur in Missa tantummodo Conventuali. Sub poenis interea, in praecitata Extravagante et Edicto inflictis, cohibeant Episcopi Musicae Magistros, Organistas, et Cantores, aliosque quoscumque a quibusvis in Ecclesia indecori cantus modulationibus, ne fidelium magis videantur auribus prurire, quam pios in Deum affectus excitare.*

<sup>97</sup> Quam scripsit reapse IOANNES DIACONUS.

<sup>98</sup> IOANNES DIACONUS, *op. cit.*, *loc. cit.* in textu : PL 75, col. 91 : *Sed et Carolus noster patricius, rex autem Francorum, dissonantia Romani et Gallicani cantus Romae offensus, cum Gallorum procacitas cantum a nostratibus quibusdam naeniis argumentaretur esse corruptum, nostrique e diverso authenticum Antiphonarium probabiliter ostentarent, interrogasse fertur quis inter rivum et fontem limpidiorem aquam conservare soleret ? Respondentibus fontem prudenter adiecit : Ergo et nos qui de rivo corruptam lympham usque hactenus bibimus, ad perennis fontis necesse est fluentia principalia recurramus. Mox itaque duos suorum industrios clericos Adriano tunc episcopo dereliquit, quibus tandem satis eleganter instructis, Metensem metropolim ad suavitatem modulationis pristinae revocavit, et per illam, totam Galliam suam correxit.*

<sup>99</sup> Hic nomen *Rodulpho*, ut legatur in aliis exemplis, correctum est in *Radulpho*.

<sup>100</sup> RADULPHUS DE RIVO, CANONICUS TUNGRENSIS, *op. cit.*, *loc. cit.* in textu : *Maxima Bibliotheca Veterum Patrum*, tom. 26, p. 299 : *Unde Sigibertus in Chronicis anno septingentesimo septuagesimo quarto, Carolus Rex offensus dissonantia Ecclesiastici cantus inter Romanos et Gallos, et iudicans iustius esse de puro fonte, quam de turbato rivo, bibere : duos Clericos Romam misit, ut authenticum cantum a Romanis discerent, et Gallos docerent. Et per hos primum Meten. Ecclesia, et per illam omnis Gallia ad auctoritatem Romani cantus revocata est. Item anno septingentesimo nonagesimo Carolus, honestati Ecclesiasticae omnino intentus, legendi et psallendi disciplinam diligenter correxit. Perpendens enim iterum Gallos a Romanis in cantando discrepare, [Metenses] vero, sola naturae levitate paululum quid dissonare, per Cantores rursus sibi ab Adriano Papa a Roma directos, dissonantiam cantus correxit.*

<sup>101</sup> S. ANTONINUS FLORENTINUS, *op. cit.*, *loc. cit.* in textu : *Quantum vero ad cantum officiorum dicit Ioannes Diaconus qui et supra quod cum Carolus Magnus venisset Romam dissonantiam Romani cantus et Gallicani inveniens offensus est. Cumque Gallorum procacitas cantum a nostratibus quibusdam naeniis argumentaretur esse corruptum, nostrique e diverso authenticum Antiphonarium probabiliter ostentarent, interrogasse fertur quis inter rivum et fontem limpidiorem aquam conservare soleret ? Respondentibus fontem prudenter adiecit : Ergo et nos qui de rivo corruptam lympham usque hactenus bibimus, ad perennis fontis necesse est fluentia principalia recurramus. Mox itaque duos suorum industrios clericos Adriano tunc episcopo dereliquit, quibus tandem satis eleganter instructis, Metensem metropolim ad suavitatem modulationis pristinae revocavit, et per il-*

nachus Engolismensis<sup>102</sup> in *Vita* Caroli Magni, cap. 8, addit, Cantores, qui Roma advenerunt, docuisse in Galliis artem etiam pulsandi organum musicum, quod regnante Pipino in Galliarum Regnum delatum fuerat.<sup>103</sup> Itaque cum sollemne et regulare sit, ut haec Romana Urbs aliis omnibus Civitatibus in sacris ritibus caeterisque Ecclesiast. rebus, praeire debeat exemplo et documento esse ; Insuper accedunt, et ea, quae mox a Nobis narrata sunt de Carolo Magno, qui Ecclesiasticum cantum e Romana Urbe tamquam e suis sedibus in suum Regnum evocavit ; quae quidem acrius Nos urgent atque exstimulant, ut abusus omnes, qui in cantu Ecclesiastico irrepserunt, et a Nobis reprobati sunt in omnibus, quoad fieri potest, sed praecipue in Romanae Urbis Ecclesiis penitus aboleantur. Sed quemadmodum Nos nostro Cardinali in Urbe Vicario, quae necessaria sunt atque opportuna, praecipere non omittimus ; ita Fraternalitas Tua publicare non negligat, si opus fuerit ; edicta et leges, quae cum hisce Nostris circularibus Litteris consentaneae sint, et quibus Ecclesiasticus cantus convenienter ad regulas in iisdem Litteris praescriptas et stabilitas dirigatur, ut tandem musicis Ecclesiarum reformandis initium praebeatur. Nam id ipsum maxime optatum ac desideratum est, cum a pluribus, tunc centum ab hinc annis a Ioanne Baptista Doni Patricio Florentino in eius Tractatu *de Praestantia Musicae veteris* lib. 1, pag. 49 : *Nunc vero eo redacta res est, ut nec quisquam reperitur, qui effeminatum quemdam ac leviusculum, qui iam passim invaluit, canendi modum, severa lege cohibeat ; nec affectata illa prolixaque, ac saepe hiulca melismata ad certam nor-*

*lam, totam Galliam suam correxerit. Et cum in processu temporis iterum vitiassent : iterum per alios clericos ex Urbe destinatos ad dulcedinem Romani cantus Gallia reducta est.*

<sup>102</sup> Cui plurimae auctoritates nomen dant ADEMARUS CABANNENSIS sive ENGOLISMENSIS.

<sup>103</sup> MONACHUS ENGOLISMENSIS, *op. cit., loc. cit.* in textu : cf. *Historiae Francorum Scriptores*, tom. 2, pag. 75 : *Et reversus est Rex piissimus Carolus, et celebravit Romae Pascha cum domno Apostolico. Ecce orta est contentio per dies festos Paschae inter Cantores Romanorum et Gallorum. Dicebant se Galli melius cantare et pulchrius quam Romani. Dicebant se Romani doctissime cantilenas Ecclesiasticas proferre, sicut docti fuerant a sancto Gregorio Papa. Gallos corrupte cantare, et cantilenam sanam destruendo dilacerare. Quae contentio ante domnum Regem Carolum pervenit. Galli vero propter securitatem domni Regis Caroli valde exprobrabant Cantoribus Romanis. Romani vero propter auctoritatem magnae doctrinae, eos stultos, rusticos et indoctos, velut bruta animalia, affirmabant, et doctrinam sancti Gregorii praeferebant rusticitati eorum. Et cum altercatio de neutra parte finiret, ait domnus piissimus Rex Carolus ad suos Cantores : Dicite palam, quis purior est, et quis melior, aut fons vivus, aut rivuli eius longe decurrentes ? Responderunt omnes una voce fontem, velut caput et originem, puriorem esse : rivulos autem eius, quanto longius a fonte recesserint, tanto turbulentos et sordibus ac immunditiis corruptos. Et ait domnus Rex Carolus : Revertimini vos ad fontem sancti Gregorii, quia manifeste corruptistis cantilenam Ecclesiasticam. Mox petiit domnus Rex Carolus ab Adriano Papa Cantores, qui Franciam corrigerent de cantu. At ille dedit ei Theodorum et Benedictum Romanae Ecclesiae doctissimos Cantores, qui a sancto Gregorio eruditi fuerant : tribuitque Antiphonarios sancti Gregorii, quos ipse notaverat nota Romana. Domnus vero Rex Carolus revertens in Franciam, misit unum Cantorem in Metis civitate, alterum in Suessionis civitate : praecipiens de omnibus civitatibus Franciae Magistros Scholae Antiphonarios eis ad corrigendum tradere, et ab eis discere cantare. Correcti sunt ergo Antiphonarii Francorum, quos unusquisque pro arbitrio suo vitiaverat, addens vel minuens, et omnes Franciae Cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciscam : excepto quod tremulas vel vinnulas, sive collisibiles vel secabiles voces in cantu non poterant perfecte exprimere Franci naturali voce barbarica, frangentes in gutture voces potius quam exprimentes. Maius autem Magisterium cantandi in Metis civitate remansit. Quantumque Magisterium Romanum superat Metense in arte cantilenae, tanto superat Metensis cantilena caeteras Scholas Gallorum. Similiter erudierunt Romani Cantores supradicti Cantores Francorum in arte organandi.*

*mam redigenda existimet, aut dies sollemnes aedesque sacras suam celebritatem ac frequentiam habituras putet, nisi mollioribus ac saepe parum decoris cantibus, magnaue vocum ac instrumentorum confusione certatim omnia personent.*<sup>104</sup>

15. Diximus, si opus fuerit, probe enim Nobis compertum est, in Statu Ecclesiastico aliquas esse Urbes, in quibus Ecclesiarum musicas reformari oporteat, in aliis vero huiusmodi necessitatem minime adesse. Timemus quidem, vehementerque timemus, ne in aliquibus Civitatibus, Ecclesiae sacraque Altaria convenienti munditie ac necessario nitore indigeant ; in multis ne Cathedralium et Collegiatarum Chori cantu plano bene ac probe ad regulas artis directo iuxta ea, quae a Nobis superius dicta sunt, destituantur, quas in res, si in Ecclesia tua necesse sit, omnes diligentiae tuae et sollicitudinis nervos intendere decet ; et utinam in omnibus totius Status Nostri Dioecesis Sacerdotes ea, qua par est, decencia sacrosanctum Missae Sacrificium facerent ; et praeterea clericalibus vestibus induti et decenti habitu corporis, incessu, modestia omnique alio Ecclesiastico decore in publicum prodirent, quibus super rebus nihil aliud hic Nos adiungemus, cum fuse de his tractaverimus in Nostra Notificatione xiv, § 4 et 6, lib. 2, edit. Ital.,<sup>105</sup> quae est xxxiv in edit. Latin.<sup>106</sup> et in notific. iv, tom. 4, edit. similiter Ital.,<sup>107</sup> quae est lxxi edit. Latin.,<sup>108</sup> ad quas Ecclesiasticae disciplinae studiosos remittimus. Itaque Sacerdotalem tuum zelum excitantes finem scribendi faciemus, posteaquam id unum tibi significabimus, nulla alia re magis hominibus declarari ; Ecclesias male atque improvide ab Episcopis regi et gubernari, quam si spectentur Sacerdotes sacra, Ecclesiasticis caeremoniis perperam adhibitis aut omissis, vestibus indecoris aut minime Sacerdotalis dignitatis propriis praecipitanter ac negligenter obire. Haec enim in omnium oculos incidunt, et incolarum et alienigenarum iudicio subiiciuntur, et praesertim eos offendunt, qui ex illis Regionibus adveniunt, ubi et Presbyteri convenientibus vestibus induuntur et Missae debita devotione celebrantur. Haec secum reputans, et non sine fletu cogitans, ita querebatur pius ac doctus Cardinalis Bellarminus. *Aliud est etiam lacrimis uberrimis dignum, quod ob nonnullorum Sacerdotum incuriam aut impietatem, sacrosancta Mysteria tam indecore tractentur, ut qui illa tractant videantur non credere Maiestatem Domini esse praesentem. Sic enim aliqui sine spiritu, sine affectu, sine timore et tremore, festinatione incredibili sacrum perficiunt, quasi fide Christum Dominum non viderent, aut ab eo se videri non crederent.*<sup>109</sup> Et post haec nonnullis interiectis prosequitur in hunc modum : *Scio non*

<sup>104</sup> IOANNES BAPTISTA DONIUS, *De praestantia musicae veteris*, loc. cit. in textu.

<sup>105</sup> PROSPER LAURENTIUS S. R. E. Card. LAMBERTINI (BENEDICTUS PP. XIV), Not. XIV *Il Sacro Concilio* (2 decembris 1734) § 4 : *Raccolta di alcune notificazioni* (ed. Pitteri 1740), tom. 2, pp. 88–93.

Idem, *ibid.*, § 6 : *Op. cit.*, pp. 96–70.

<sup>106</sup> PROSPER LAURENTIUS S. R. E. Card. LAMBERTINI (BENEDICTUS PP. XIV), Not. XXXIV *Tridentina Synodus* (2 decembris 1734) § 4 : *Institutiones Ecclesiasticae* (ed. Lovaniensis 1762), tom. 1, pp. 397–406.

Idem, *ibid.*, § 6 : *Op. cit.*, pp. 413–420.

<sup>107</sup> PROSPER LAURENTIUS S. R. E. Card. LAMBERTINI (BENEDICTUS PP. XIV), Not. IV *Benche` sia* (3 octobris 1737) : *Raccolta di alcune notificazioni* (ed. Pitteri 1740), tom. 4, pp. 38–39.

<sup>108</sup> PROSPER LAURENTIUS S. R. E. Card. LAMBERTINI (BENEDICTUS PP. XIV), Not. LXXI *Quamvis illud* (3 octobris 1737) : *Institutiones Ecclesiasticae* (ed. Lovaniensis 1762), tom. 2, pp. 322–333.

<sup>109</sup> S. ROBERTUS BELLARMINUS, *De gemitu columbae*, lib. 2, cap. 5.



*deesse in Ecclesia Dei multos optimos et religiosissimos Sacerdotes, qui corde mundo et nitidissimo apparatu Divina Mystera celebrant ; pro quibus gratiae Deo ab omnibus agenda sunt ; sed simul etiam fontibus lacrimarum plangendi sunt non pauciores, qui exteriori turpitudine et sordibus animi sui impuritatem sordesque testantur.*<sup>110</sup> Et nos interea in visceribus Christi Fraternitatem tuam complexentes, et Tibi, et Gregi curae tuae commisso Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die 19 Februarii MDCCXLIX, Pontificatus Nostri Anno Nono.

<sup>110</sup> *Ibid.*